
S. Glassius

Christus in peccatis nostris serviens Es. 43. v. 24. 25.

Jenæ, 1621.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

1,- 136.

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4º

1 1 01 0 4 01056 6

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

# CHRISTUS IN PECCATIS NOSTRIS SERVIENS,

*SEU*

Dicti Prophetici Eſa. 43. verſ. 24. 25. Servire me feciſti in iniquitatibus tuis &c. ſuccincta & orthodoxa explicatio,

*Quam*

DoCtore IesV faVenter annVente MortVo,

*Præſcitu & conſenſu Venerandæ & Ampliſs. Facultatis Theologicæ*

ad placidam diſputationem proponit Publicè

SALOMON GLASSIUS, SS. Theol. Licent. Facult. Philoſ. Adjunctus,

*RESPONDENTE*

INGVARDO NICOLAI MULVADIO, DANO.

*Habebitur in Auditorio Theologico, pridie feſti reſurrectionis Dominicæ, qui ultimus Martii eſt.*

Lecta eligendo tene
989

*JENÆ*

Typis TOBIÆ STEINMANNI

Anno M. DC. XXI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

VIRIS

*Reverendis plurimùm, Clariſsimis & Excellentiſsimis,*

# DN. BALTHASARI MENTZERO, S. S. Theol. D. celeberrimo, ejusdemq; in Illuſtri Gieſſenâ Haſſorum Profeſſori meritiſſimo,

# DN. JOHANNI GERHARDO, Doctori Theologo & Profeſſori in almâ Salanâ eminentiſſimo, Dn. Hoſpiti & Evergetæ, nunquam non, multis nominibus à me celebrando,

# Dn. M. JOHANNI SCHUCCELIO, Eccleſiæ Arnſtatenſis Paſtori, & Diœceſeos Schvvartzburgicæ ſuperioris Superintendenti digniſſimo,

*Dominis, Præceptoribus, Fautoribus & Patronis meis æviternùm colendis, amandis,*

S. P. P.

*MENTZERE, extremo niveis quem Fama quadrigis*
*Orbe vehit: Catti, gloria, ſplendor, agri.*
*GERHARDE, eximiâ docti quem laude celebrant,*
*Quo, ROSA ceu VERNANS, Jena vigente viget.*
*SCHUCCELI, Arnſtadium quo verba ſonante ſuperbit*
*Cœlica: Schvvartzburgi ſtella, decusq; poli.*
*Vos mea Muſa ambit, Veneranda ô Triga, Patronos*
*Exigui fœtus vos ſtatuiſſe parat.*
*Noſcere ſi cauſam vultis, mens grata, memorq;,*
*Vosq; colens orbis Lumina, cauſa fuit.*
*Suſcipite hunc, quæſo, fœtum, veſtrumq; fovete*
*GLASSUM. Ità vos Cœli gratia dia beet!*

Salomon Glaſſius, S.S. Theol. Licent.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

בג״ה

# EXPOSITIO verſ. 24.
## 25. capitis 43. Eſaiæ.

*TEXTUS.*

אַךְ הֶעֱבַדְתַּנִי בְּחַטֹּאותֶיךָ הוֹגַעְתַּנִי בַּעֲוֺנֹתֶיךָ׃ verſ. 24.
אָנֹכִי אָנֹכִי הוּא מֹחֶה פְשָׁעֶיךָ לְמַעֲנִי וְחַטֹּאתֶיךָ לֹא 25.
אֶזְכֹּר׃

*Servire me feciſti in peccatis tuis, fatigas me in ini-* verſ. 24.
*quitatibus tuis:*
*Ego ego ipſe, delens prævaricationes tuas propter me,* 25.
*& peccatorum tuorum non recordabor.*

## PROOEMIUM.

### THESIS I.

QVando D. Apoſtolus 1. Cor. 15. v. 3 inquit, *Chriſtum mortuum eſſe pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas*, haud obſcurè ad V. T. ſcriptorum de Chriſto patiente & moriente tractantium accuratam evolutionem nos remittit. Id quod & Chriſtus *tùm* exemplo ſuo facit *tùm* monito. *Prius*, dum monumenta Moſis, Prophetarum & Pſalmorum de ſe loquentia Apoſtolis explicat, Luc. 24. v. 27. 44. 45. *Poſterius*, dum ſcrutari jubet Scripturas (V. T.) eaſq; de ſe teſtimonium perhibere pronunciat, Johan. 5. verſ. 39.

2. Quæ ipſa nos etiam movent, ut de paſſione acerbiſſi-

mâ Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti hoc meditationibus iſtis piis deſtinato tempore devotam ex V. T. Canone, & præſertim ex dicto allegato Eſa. 43 v. 24. 25. inſtituamus ἐρεύνησιν καὶ συζήτησιν. Præſtabimus id Deo feliciter annuente methodo eâ, quam ipſe Chriſtus in voce emphaticâ ἐρευνᾶν Joh. 5. v. 39. nobis proponit.

3. Eſt in illâ (obſervante rectè Chryſoſtomo hom. 21. in Gen.) *metaphora ducta à foſſoribus metallorum, qui intimas terræ cavernas perſcrutantur.* Foſſores rerumq́; metallicarum periti *primò* omnium de metallo ipſo ſunt ſoliciti, an auri, an argenti, an æris, an cupri, an plumbi & ferri effodiendi ſpes in aliquo loco effulgeat, inde etiam virgulæ divinæ (quam ità vocant) adminiculo eam ad rem uti ſolent: *poſteà* re probè exploratâ, & auri argentivè venis repertis ἐρευνᾶν ſtrenuè incipiunt, & repertas venas accuratè perſequuntur; *tandem* ſuos ad uſus effoſſum metallum accommodant.

*Diſpoſitio futuræ tractationis.*

4. Pari ratione in dicti noſtri Prophetici ceu aurifodinæ precioſiſſimæ inquiſitione & explicatione rem aggrediemur, ut nimirum, 1. de metalli, quod inibi continetur, qualitate ſimus ſoliciti, h.e. ſubjectum, argumentum, & ſcopum ejus conſideremus, an ſc. de Chriſto Jeſu patiente & paſſione ſuâ nos Deo propitiante agat. 2. auro ibi reperto, Chriſtumq́; ſcopum dicti Prophetici eſſe, oſtenſo, venas ipſas accuratè perluſtremus, hoc eſt, textum Propheticum ἀναλύωμεν reſolvamus & explicemus. 3. omnia ad uſum ſuum & Chriſtianam praxin accommodemus. *Breviter* dicendo, tractationis noſtræ *tres* conſtituimus partes. 1. De ſubjecto & argumento. 2. De textus expoſitione. 3. De uſu textus tùm elenctico tùm practico aget.

*Chriſte, labore tuo qui cœlica dona parâſti,*
*Utilis ut noſter ſit labor iſte, juva.*

## PARS I.

### De ſubjecto & argumento textus diſſerens.

5. *Ut abſq; fundamento imbecillis eſt ædificatio, ità niſi invento*

*invento ſcopo Scriptura eſt inutilis*, ait *Chryſ.* ſuper Pſal. 2. Illum penſi habentes Canona, ante omnia in hoc textu, ut utiliter tractari queat, ſcopum jure meritò inquirimus. Triplex autem hoc loco ſententiarum in Interpretibus videre eſt divortium. *Prima* inter illas mala eſt & *execrabilis: altera* media eſt & aliquo modo tolerabilis; *poſtrema* bona eſt & laudabilis.

6. *Primam* præter Judæos & Photinianos, perduelles Chriſti hoſtes, amplectitur *Calvinus* nobilis ille Scripturarum στρεβλωτὴς, cujus in comm. h. l. p. 434. hæc verba ſunt: *Qui hunc locum de Chriſto exponunt, ſenſum Prophetæ torquent. Quare ſimplicior mihi videtur hæc interpretatio. Conqueritur enim Dominus, quod homines eum peccatis ſuis moleſtum onus ſubire coëgerint, qui tamen reverenter ſe ei ſubjicere debuiſſent. Nam cum inſurgimus adverſus Deum, eum quaſi ſervum protervia & petulantiâ noſtrâ reddimus. Hoc autem melius exponit, cùm ait, ſe laboraſſe, id eſt, varia tædia devoraſſe ob nequitiam populi ſui. Ipſum enim quodammodo vulneramus & configimus, ut inquit Propheta, cùm reſpuimus ipſius vocem, neq; ab eo regi nos patimur.* Calvinum ſequuntur alii ejus complices, præſertim *Muſculus* in comm. p. 601. qui verba *laboris & defatigationis* in hoc textu occurrentia explicans, ita ſcribit: *Laborabat & fatigabatur* (Deus) *tùm ferendo tùm corrigendo ipſorum* (Judæorum) *peccata. Haud cadit labor & fatigatio in divinam naturam, ſed humano more loquitur, ut rem ipſam, imò indignitatem rei exprimat.*

7. *Secundam* ſententiam amplectuntur *Gualterus* hom. 226. in Eſa. *Piſcator* in annot. ad h. l. *Scultetus* in ideâ concion. ſuper Eſa. & alii, qui de *redemtione temporali populi* Judaici in ſenſu *literali; de redemtione ſpirituali* per Chriſtum facta in ſenſu *typico* hunc locum, ut & totum caput 43. exponi poſſe & debere aſtruunt. Cui ſententiæ *Paræus* quoque Calvinum defendens aſtipulari videtur, ut ex Antiparæo B. Hunnii pag. 767. videre eſt.

8. *Tertia B. Lutheri* in comm. Eſa. tom. 3. Jen. Lat. f. 386. a. & reliquorum orthodoxorum Scripturæ Interpretum ſententia eſt, de Chriſto ſcilicet patiente, ſuaq; obedientiâ, paſſione & morte æternam redemtionem promerente hunc tex-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

tum in ſenſu literali agere', & Chriſti futuri θεανθρώπου hæc ipſa verba eſſe. Cui orthodoxiæ aſtipulari videntur Tremell. & Junius in ſuâ verſione, quando ad v.26. ſequentem annotant hæc verba: *Conteſtatio συγχωρητικὴ ad confirmandum ſuperius documentum de gratuitâ peccatorum remiſſione in Chriſto &c.*

9. Ut de dicto ſententiarum divortio rectum Scripturâ duce ferri poſſit judicium, utq; unâ quaſi fideliâ duo parietes dealbari, hoc eſt, & ſententiæ Calvini falſitas, & poſterioris orthodoxæ veritas conſpici queat, hoc ponimus theorema:

*Orthodoxa ſententia.* *Chriſtus Jeſus, ſervitute ſua exinanitionis & obedientiæ, laboreq; paſſionum crucis & mortis gratuitam peccatorum noſtrorum deletionem impetrans, dicti noſtri Prophetici (in ſenſu literali accepti) & prora & puppis eſt.*

*Ejus confirmatio.* *1. In genere. Prophetarũ de Chriſto teſtificatio.*

10. Fundamenta aſſertionis noſtræ producimus *tùm* generalia *tùm* ſpecialia. *In genere* notari volumus *1. Prophetarum de Chriſto teſtificationem,* quæ non ἐπιπόλαιος tranſitoria & ſuperficiaria, ſed ἀκριβεστάτη accùratiſſima & exactiſſima eſt. Hinc Chriſti παθήματα καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, *paſſiones & ſubſequentes glorias* non μαρτυρεῖσθαι ſolùm ſeu *teſtificari*, ſed ἐκζητῆσαι καὶ ἐξερευνῆσαι *diligenter exquiſiviſſe atq; accuratè perſcrutati* fuiſſe dicuntur Prophetæ 1. Pet.1.v.10. Quò pertinet univerſalis particula *Omnis*, quæ ſæpius Prophetico de Chriſto ſervatore teſtimonio adjungitur in N. T. Luc. 24. v. 27. *Chriſtus incipiens à Moſe & omnibus Prophetis interpretatur diſcipulis in omnibus Scripturis, quæ de ſua paſſione exarata erant.* Videantur etiam loca Act.3.v.18.23 c.10.v.43.

11. Ex quorum locorum conſideratione talem cum B. *Hunnio* (in Antipar. 1. Col. 765.) conſtituimus meritò Canonem: *Ubicunq; in Scriptura V.T. de gratia Dei aut de propitiatione vel remiſſione peccatorum diſſeritur (quod fit in omnibus Prophetis) ibidem Prophetas ad Chriſtum reſpicere, eiq; teſtimonium perhibere ut mediatori, extrà cujus ſacrificium* ἱλαστικὸν *paſſionis & mortis ejus, nec gratia Dei, nec peccatorum venia locum ullum apud homines invenire queat.*

12. Ex

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

12. Ex eorundem locorum meditatione deducimus etiam hoc, ſi textus aliquis Scripturæ Propheticæ ſine ullâ abſurditate & incommoditate de Chriſto Jeſu, ejusq́ue paſſione exponi poſſit, & à plerisq; Interpretibus expoſitus ſit, perperam fieri, ſi à ſanâ illâ & analogiæ fidei congruâ expoſitione diſcedatur, & ad aliud quippiam textus trahatur. Ratio eſt: Quia omnes Prophetæ de hoc Jeſu patiente ferunt teſtimonium. At in hoc vel illo loco teſtimonium non tuliſſe evidenti ſatis ratione probari nequit.

13. Sed ne obſtrepant adverſæ parti addicti, ex antecedentium συνεπεία fieri manifeſtum, h. l. non de Chriſto patiente agi, cùm de liberatione temporali ex captivitate Babylonica in præced. agatur, igitur in genere notari jubemus. 2. *Prophetarum conſuetudinem*, quâ à typo ad antitypum de ſubito tranſire, & cum de aliis rebus ſermo ipſis eſt, ad Chriſtum Scripturæ nucleum ſeſe convertere, deq́; eo prophetare ſolent. Eſa. 1. luculenta de peccatis pœnisq́; populi Judaici extat concio, mox c. 2. ad Chriſti adventum & regnum prophetia flectitur, poſteà c. 2. v. 6. & ſeqq. ad cœptum de incredulitate populi ſermonem fit regreſſus. Eſa. 7. v. 1. ſeqq. cùm de longè aliâ re, de obſidione ſcilicet Hieroſolymæ ejusq́; divinâ ſolutione à Prophetâ inſtitueretur narratio, ſubitò tamẽ Evangelica de Chriſto à virgine naſcituro pericope v. 14. interſeritur. Confer Eſa. 9. v. 6. 7. 8. ſeqq. c. 45. v. 1. 8. Jer 23. v 1. 6. c. 31. v. 22. c. 33. v. 10. 13. 14. &c. Zach. 9. v. 1. 9. &c. Gen. 49. v. 10. 18. &c.

*Prophetæ ſæpius à typo ad antitypum digrediuntur.*

14. Præſertim autem ſæpiuſculè à mentione corporalis liberationis è captivitate Babylonicâ ad ſpiritualis liberationis per Chriſtum expeditæ myſterium dilabuntur, idq́; 1. *ob beneficii illius fundamentum*. Liberatio enim illa, ut & reliqua beneficia corporalia propter promiſſionem de Meſſia ex Iſraëlitis orituro contingebant. Eſa. 45. v. 4. c. 37. v. 35. &c. 2. *ob ejusdem typum*: quia liberatio iſta corporalis per Cyrum præſtita fuit typus ſpiritualis liberationis per Chriſtum præſtandæ. 3. *ob ejusdem uſum*: Voluerunt enim Prophetæ animos auditorum excitare, ne toti de fixi eſſent in corporale iſtud beneficium, ac ſi in eo vera ſalus conſiſteret, ſed ut ad promiſſionem de Meſſia corda elevarent. Par eſt ratio præſentis textus, qui etſi Prophetico de-

tico de-

tico de liberatione ex captivitate Babylonicâ oraculo ſubjungitur, de Chriſto tamen ut antitypo ejus (adquem Propheta ἐξερευνῶν καὶ ἐκζητῶν τὰ παθήματα αὐτοῦ redit) commodè exponi & poteſt, & debet, ut ex dicendis fiet manifeſtius.

2. *In ſpecie.* 1. *Textus συνάφεια.* 15. In ſpecie ad aſſertionis noſtræ ſtabilitionem producimus *1. Textus cum antecedentibus συνάφειαν ac cohæſionem.* Etſi de liberatione corporali ex captivitate Babylonica in præcedd. aliquo modo (ut jam dictum eſt) agatur, primarius tamen tùm hujus 43. tùm præcedentium 42. 41. 40. capitum ſcopus eſt, celebrare beneficia per Chriſtum in N. T. impetranda. Quod licet *Scultetus* ideâ concion. ſuper Eſa. 63. negare præſumat, non tamen obſcurum poteſt eſſe illi, qui ſine præconceptæ opinionis glaucomate dicta capita intuetur.

16. Cap. 40. v. 3. 4, 11. quin de præcurſore Chriſti Johanne & de ipsâ Mediatoris ſuavi Eccleſiæ gubernatione agat, dubium poteſt eſſe nullum. cap. 41. v. 27. מְבַשֵּׂר Evangelizantis cujusdam à Deo dati fit mentio, is quisnam ſit, ex ſequenti ſtatim c. 42. v. 1. ſeqq. cognoſcitur: *Ecce*, (inquit Deus Pater, is Evangeliſta, de quo dixi, eſt) *ſervus meus, in quo innitar, electus meus, in quo complacuit animæ meæ.* Is non *Iſrael bonus & fidelis* ſive populus Iſraeliticus (ut Semijudaizans quidam nugatur, cui reſpondet ipſe *Socinus*, & de Chriſto exponit in expl. locor. Scripturæ ſubnexis explicationi 1. part. c. 1. Joh. pag. 67. ſeqq.) ſed Jeſus Chriſtus eſt, ut patet ex Matth. 3. verſ. 17. cap. 12. v. 18. cap. 17. v. 5. 2. Pet. 1. v. 17. quibus locis *partim* Propheticus textus diſertè ad Chriſtum accommodatur, *partim* haud obſcurus ad eum reſpectus habetur. Cap. 43. ſtatim ſub initium Dominus alloquitur Eccleſiam, illamq; pollicitatione præſentiæ ſuæ in omnibus adverſis gratioſæ ſuaviſſimè conſolatur (perinde ut Matth. 28. v. 20.) Mox v. 5. ſeqq. de vocatione gentium illuſtre ſubjungitur vaticinium (quod v. 11. *Jehovæ* adſcribitur, *extrà quem non eſt Salvator.* Is autem Chriſtus eſt Act. 4. v. 12.) v. 18. 19. 20. idem beneficium repetitur, mentione ſolitudinis à Deo irrigatæ & fœcundatæ, id quod de effuſione S. Sancti & inſecuturam Evangelii prædicationem inter gentes effectum iri cap. 32. v. 15. ſeqq. Propheta docet. His demum præmiſſis, ad fon-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

ad fontem ac ſcaturiginem omnium beneficiorum Propheta textu præſenti accedit, ad gratuitam ſcilicet peccatorum condonationem in ſanguine patientis Salvatoris fundatam.

17. 2. *Loci præſentis conſiderationem.* Evidentia ejus talis ac tanta eſt, ut non niſi inſigni quadam στρεβλότητι ac detorſione à Chriſto Jeſu patiente aliò trahi poſſit. Ecce enim 1. Is loquens hîc introducitur, quem *propter peccata noſtra ſerviiſſe ſive laboraſſe & defatigatum eſſe* conſtat. Is verò Chriſtus mediator eſt. Si obſtrepat Calvinus, ἀνθρωποπαθῶς hæc accipienda & Deo metaphoricè tribuenda eſſe, jure flagitamus contortæ hujus expoſitionis ſolidum fundamentum, (*Solidum* inquam. Nam quod verbis, *ipſum quodammodo vulneramus & configimus, ut inquit Propheta, cum reſpuimus ipſius vocem &c.* reſpicere videtur ad Zach. 12. v. 10. nullius momenti eſt. Is enim locus de Chriſto agit, teſte Johanne c. 19. v. 37. Apoc. 1. v. 7. & in pari dãnabili culpâ hæret Calvinus, quod verba Prophetæ, *reſpicient ad me, quem confixerunt,* metaphoricè *de continuâ Dei irritatione & perverſa contumacia exponit* in comm. ſuper Zach. p. 709.) Illud intereà dum fruſtrà quæritur, nos textus proprietati inſiſtentes conferimus cum dictis verbis Eſa. 53. v. 11. ubi labor iſte ad acerbam paſſionem refertur, ut totius capitis contextus luculenter oſtendit: item Pſa. 22. verſ. 15. 16. ubi defatigatio illa non minus ad paſsionis ignominiam accommodatur. — *2. Textus conſideratio.*

18. 2. Is hîc loquens introducitur, *propter quem* delentur peccata noſtra. Ita enim habent verba: *Ego ego* (ſum) *ipſe, delens prævaricationes tuas* לְמַעֲנִי *propter me.* At verò propter ſolum Chriſtum delentur peccata noſtra, atteſtante universâ Scripturâ. Dan. 9. v. 17. 19. Act. 4. v. 12. &c.

19. Si pro palliatione Calvini dicere velit *Paræus*, loquentem introduci Chriſtum *non ut mediatorem, ſed ut Jehovam, verum cum Patre & S. Sancto Deum*: Breviter dicimus, ſubordinata non poſſe nec debere ſejungi ſibique invicem opponi. Loqui Chriſtum ut Jehovam concedimus, idq; patet ex collatione v. 16. excludi verò ipſius mediatorium officium, ſive ipſum non loqui ut mediatorem, negamus, cum *propter ſeipſum* (ratione officii iſtius ἱλαστικȣ) peccata ſe remittere dicat.

B Ita

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

Ita igitur argumentamur: *Cujus reſpectu* vel intuitu Jehova peccata condonat, ejus reſpectu loquens in hoc textu introducitur. At reſpectu officii mediatorii & propitiatorii Jehova peccata condonat. Ergo reſpectu ejusdem introducitur in h. l. loquens.

20. Si Paræus excipiendo pergat, *ſenſum phraſeos* לְמַעֲנִי *propter me, nō eſſe, propter meum meritū, ſed potius*, ut Ezech. 36. v. 22. *propter nomen ſanctum meum, hoc eſt, propter clementiam meam*: Reſpondemus 1. ex præcedenti laboris & defatigationis ſive paſſionis mentione palam fit, meriti intuitum hîc non excludi. 2. rurſus perperam opponuntur ea, quæ ſe invicem conſequuntur & præſupponunt. *Propter me* idem eſſe ac *propter clementiam ſive gratiam meam*, concedimus, (& ita orthodoxè etiam explicat *Brentius* in h. l.) at propterea excludi Chriſti patientis meritum, inficiamur, quin invertendo totum, concludimus, quia clementia & miſericordia Dei extrà & præter Chriſti meritum nullum poteſt habere locum, E. etiam h. l. idem meritum ſeu eadem ſatisfactio includitur. *Neq; remiſſio peccatorum propterea deſinit eſſe (reſpectu noſtri) gratuita, ſi maximè in Chriſti Salvatoris merito conſiſtat*, quæ ſunt verba *Hunnii* in Antipar. 1. Col. 776. apud quem plura de hoc argumento vide. Confer etiam inferius §. 71.

*§. Aliorum locorum collatio.*

21. 3. *Aliorum locorum collationem*: quorum duo tantum evidentia producimus. 1. Pſal. 40. v. 7. verba ita habent: *Sacrificium & munus noluiſti, aures fodiſti mihi, holocauſtum & ſacrificium pro peccato non poſtulaſti*, verſ. 8. *Tunc dixi, ecce veni, in volumine libri ſcriptum eſt de me &c.* quo in Pſalmo Chriſtum loqui liquet ex Ebr. 10. v. 5. 6. 7. &c. dicimus autem parallelum eſſe locum iſtum noſtro textui vel maximè: *Quemadmodum* enim Pſa. 40. oppoſitio fit inter V. T. ſacrificia (quæ peccata expiare non potuerunt. Heb. 10. v. 4.) & inter Chriſtum unicum propitiatoriū ſacrificium: Ita eadem ἀντίθεσις eſt Eſa. 43. v. 23. 24. 25. *Quemadmodum* ob inefficacitatem V. T. ſacrificiorum Chriſtus dicit, quod ipſe venturus, & in θυσίαν θεῷ εὐπρόσδεκτον ſe oblaturus ſit: Ita & Eſa. 43. ſacrificiorum iſtor.



inuti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

inutilitati futurum ſuum *laborem, ſervitutem, defatigationem*, hoc eſt, paſſionem & meritum opponit. Confer etiam Mal. 1. verſ. 10. 11.

22. 2. Eſaiæ caput 53. luculenta præſentis textus eſt explanatio, ut accuratius conferenti & intuenti fiet evidens. Nam & *labor ac defatigatio*, cujus in noſtro textu fit mentio, pulcrè de paſſionis ignominâ & vehementiâ exponitur, & *paſſionis fructus*, gratuita ſcilicet peccatorum remiſſio non minus accuratè proponitur v. 11. Poſſunt huc referri omnia illa Scripturæ dicta, quæ Chriſtum pro nobis paſſum, & ſanguine ſuo nos à peccatis purgantem deſcribũt, quorum copia benè multa.

23. 4. *Sententiæ contrariæ conditionem.* Duplex ea, ut ſuperius §. 5. 7. aſſertum. *Prior* Calvini, quæ Chriſtum mediatorem ab hoc textu planè exſculpit. *Poſterior* aliorum, qui ſecundariò & typicè eum inibi contineri aſſerit. Utramq; dicimus eſſe erroneam, maximè verò priorem. *4. Sententia contraria conditio.*

24. Eſt enim Calvini illa expoſitio, 1. *A textu aliena & contorta. Ait* Calvinus, non loqui hîc mediatorem, ſed Jehovam. At Chriſtum qui eſt & Jehova & mediator, hîc introduci paulò ſuperius eſt oſtenſum. *Ait* Calvinus, ſermonem eſſe non de labore proprio & intenſiſſimâ paſſione, ſed de labore metaphorico, qui ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuatur. At de labore propriè accepto & defatigatione in agone & paſſione Chriſto obveniente agi, res ipſa loquitur. *Ait* Calvinus, Deum (iratum) conqueri, quod ob nequitiam populi varia tædia devorârit, & quodammodò vulneratus & confixus ſit. At verba *non iracundi* & conquerentis, ſed *planè propitii* placati & peccata remittentis hæc eſſe, res non minus apertè clamat. Et qualis quæſo connexio verborum Jehovæ: *Ego varia tædia devoravi* (ita enim Calvini verba habent) ob nequitiam tuam. Ergò tibi peccata tua remittam?

25. 2. *Periculoſa*, cùm firmiſſimum Judæis, Arianis & Photinianis oppoſitum pro aſtruendâ verâ Deitate Chriſti argumentum enervet & nobis eripiat, (quod ipſe *Paræus*, citante *D. Hunnio* col. 770. diffiteri non potuit) illud tale eſt: *Iſte ſerviens & laborans in peccatis noſtris, & delens iniquitates noſtras propter*

 *ſe, eſt*

*ſe, eſt Jehova. Idem verò eſt Chriſtus. Ergò.* Hic minorem à Calvino cum Judæis & reliquis hujus ſulphuris & furfuris hominibus negatam & totum argumentum enervatum vides.

26. 3. *Nova* & ab antiquioribus ac ſanioribus reliquis Interpretibus minùs recepta, qui uno ferè ore ad Chriſtum patientem hæc verba referunt. Hieron. tom. 4. in Eſa. pag. 144. b. *Ego propter me, quia miſericors ſum, & patiens & multarum miſerationum delebo omnes iniquitates tuas, in aſperſione & ſanguine novi teſtamenti, delens vetus chirographum, quod adverſum te ſcriptum erat, & peccatorum tuorum ultrà non recordabor, quæ tibi, ſi credere volueris, in baptiſmate dimiſſurus ſum &c.* Temeritas autem eſt, absq; evidenti causâ diſcedere à communi, rationumq; columnis firmiſſimè ſtabilitâ interpretatione.

27. Quin & Calvinum propriæ fidei complices quidam deſerunt. *Zanchii* (allegante Hunnio p. 776.) horum verborum hæc eſt ἔκφρασις: *Idem ipſe Chriſtus, peccata noſtra ita ſuo ſanguine expiata cōdonat, nō propter merita noſtra, ſed propter ſe, hoc eſt, propter merita ſua, paſſionem & mortem ſuam &c.* & p. p. *En deletionem iniquitatum noſtrarum propter ſe, id eſt, propter ſuum ſanguinem. Item Deum redemiſſe Eccleſiam ſuo ſanguine, & alia id genus infinita; quæ utrumq; docent, nempè Chriſtum factum eſſe ſervum, ſerviiſſeq; propter peccata noſtra: Et eundem ea delere propter ſeipſum, hoc eſt, propter ſuam mortem. An non hac ratione optimè conſentiunt inter ſe, & ſuavem gignunt harmoniam Scripturæ veteris & novi Teſtamenti? Ac ſi juxtà regulam Chriſti ita ſcrutemur Scripturas, ut quæramus Chriſtum, & quæſitum ductu Apoſtolorum, in eis illum inveniamus: quis homo improbare queat* (at improbat Calvinus ſibi ſoli ſapiens) *talemq; Scripturarum interpretationem damnare? Eſt enim finis & ſcopus omnium Scripturarum Chriſtus.*

27. Congrua his habet *Oecolampadius* in h. l. ubi gloſſam Calvini Judæis apertè ſimul adſcribit: *Judæi* (inquit, & Calvinus ἰȣδαΐζων) *hunc locum exponunt de patientia Dei peccantes longanimiter ferentis & à peccatis non prohibentis. Atqui ſequentia comprobant hanc redemtionis fuiſſe viam, miniſtrante Chriſto, dicit enim: Ego deleo iniquitates, ego ſcilicet qui porto, &*

quem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

*quem feciſti ſervire in peccatis: deleo peccata, non propter opera tua, ſed propter me, hoc eſt, propter meam ipſius bonitatem.* Hæc ille. Quin & *Paræus* ipſe vi veritatis adactus à Calvino diſceſſit, & per laborem atque ſervitutem notari paſſionem Eſa. 53. deſcriptam aſſerit p. 161. defenſ. Calv. contra Hunn. Hæc de Calvini ſententiâ.

28. *Altera* ſententia etiamſi Calvini ſit paulò tolerabilior, tamen & ipſa locum apud ſaniores Scripturarum interpretes mereri aliquem haud poteſt, cum in ipsâ textus literali expoſitione cum priore conveniat, Chriſti verò paſſionem & meritum *ſecundariò* tantùm, in typo, & ut utilem doctrinam ex textu deductam ibi contineri aſſerat. Eadem igitur contra illam militant argumenta, quæ ſuperius ſunt producta.

29. Hiſce nunc expeditis noſtrum coronidis loco repetimus theorema: *Chriſtus Jeſus, ſervitute ſuæ exinanitionis & obedientiæ, laboreq́; paſſionum crucis & mortis gratuitam peccatorum noſtrorum deletionem impetrans, dicti noſtri Prophetici (in ſenſu literali accepti) & prora & puppis eſt.* ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

# PARS II.

## Textus expoſitionem continens.

30. Auri ſpe effulgente, & Chriſtum textus noſtri Prophetici ſcopum eſſe oſtenſo, eundem juxtà methodum ſuprà poſitam ἐρευνᾶν & interpretari incipimus, quod commodiſſimè omnium fiet, ſi & φράσεων & πραγμάτων, verborum & rerum, accuratam habeamus rationem. Conſtituemus igitur *duo* hujus partis ſecundæ membra: *Prius* ἐξήγησιν γραμματικὴν conplectetur, & verborum proprietatem phraſiumq́; Propheticarum qualitatem atq; ἔμφασιν expendet. *Poſterius* ἐξήγησιν μεθοδικὴν καὶ θεολογικὴν habebit, resq́; in textu contentas ordine congruo digeſtas proponet & explicabit.

### MEMBRUM I.

ἐξήγησις γραμματική.

31. אַךְ] particula μεταβατικὴ ſequentia cum præce- verſ. 4.

 denti-

dentibus verbis *adverſativè* conjungens. Ariæm. *Verùm* Jun. & Trem. *Quin*: Vacab. *Sed*, L X X. ἀλλὰ reddunt: aliàs etiam *certè, profectò, tantum* ſignificat. Accentus, ſuprà poſitus, *Rebhiah* vocatur, commatis ſive periodi nota: h. l. cum diſtinctione nullâ ſit opus, patet emphaticè ipſum adhiberi; ſermonem paulatim ſiſtere, & de dicendarum rerum gravitate quaſi monere.

32. הֶעֱבַדְתַּנִי ] *ſervire feciſti me*, ut Ar. & Vatab. vertit. Jun. Trem. *ſervitute premis me*, Luth. Mir haſtu Arbeit gemacht. Eſt 2. præter. Hiphil cũ affixo 1. perſ. radix eſt עָבַד ſervivit, vel Deo, eũ religioſè colendo; vel *hominibus*, ipſis operâ ac officiis inſerviendo: vel *terræ*, illam arando, præparando, excolendo &c. In Hiphil הֶעֱבִיד ſervire fecit ſeu coëgit, in ſervitutem redegit, Exod. 1. v 13. de durâ illâ ſervitute accipitur, cui Ægyptii Iſraëlitas בְּפָרֶךְ in ſævitia ſubjecerunt. Hoc loco ſervitium illud denotat, cui Chriſtus ob peccata noſtra tempore exinanitionis fuit ſubjectus, Phil. 2. v. 7.

33. Et notandum hîc, *quod verba in Hiphil præter ſignificationem directæ efficientiæ aliis etiam modis in ſacris literis uſurpentur*, de quibus alibi. Hîc non tàm propriè & effectivè (neq; enim homines peccantes directâ efficientiâ fecerunt ſervire Filium Dei, vel in durâ & diram illam ſervitutem depreſſerunt) quàm vel *occaſionaliter* (quia homo peccans & genus humanum ſecum perdens, occaſio fuit Filio Dei, ut humanam naturam aſſumeret, & in eâ ſe exinaniret, ut Lyranus explicat) vel ἐμφατικωτέρως etiam *permotivè* (quia miſeria humani generis cauſa προκαταρκτικὴ & permovens fuit iſtius divinæ miſericordiæ) accipitur. Et nota contrà Calvinum, עבד ſervitutem, nuſpiam Deo vel propriè vel metaphoricè (ut ſignificet tædium ſive faſtidium) in Scripturis attribui.

34. L X X. verſio (quam nos habemus) h. l. variat, quidam Codd. habent προέστης μου *obſiſtis mihi*: alii προέστην σου *defendi te* (ita legunt Cyrill. Theod. Euſeb. lib. 10. demonſt.) alii προήσπισα, alii etiam ὑπερήσπισά σε, q. d. pro *ſcuto me oppoſui in iniquitatibus tuis*, id eſt, contrà iniquitates, & hoc verbo

exprimi

exprimi quidam dicunt, quid nobis Chriſtus contulerit & quomodo dicatur laborem & dolorem pro nobis pertuliſſe.

35. בְּחַטֹּאתֶיךָ] Ariæm. *In peccatis tuis.* Pagn. *propter iniquitates tuas.* Trem. *propter peccata tua.* Luth. in (Piſc. mit) deinen Sünden. Eſt nomen plurale cum præfixâ & affixâ particulâ. ב præfixum aliàs הַכְּלִי בְּ *beth vaſis* dicitur, notans ſc. ſubjectum in quo cujuscunq; rei. Aliâ ſignificatione etiam הָעֵזֶר: ב *beth auxilii* dicitur, notans cauſam, inſtrumentum aut modum actionis, ut etiam h. l. commodè accipi poteſt, hoc ſenſu: *Servire feciſti me in peccatis tuis.* Sunt enim peccata noſtra (ut antè dictum) cauſa impulſiva iſtius Filii Dei obœdientiæ. Neque tamen abnuimus, pro *propter* etiam poſſe accipi, ſicut accipitur Gen 18, 28. Oſ. 12, 13. & alibi. חַטֹּאת plurale eſt conſtructum à ſingulari חַטָּאָה peccatum, ſcelus, (meton. etiam *peccati pœnam,* item *ſacrificium pro peccato* alibi ſignificat) radix eſt חָטָא erravit à ſcopo, peccavit, deliquit: ubique in Scripturis obvia. Accentus voci huic impoſitus zakeph kadon vocatur inciſum minus ſive comma (interdum etiam colon) conſtituens.

36. הוֹגַעְתַּנִי] Ariæm. *laborare feciſti me,* Trem. *fatigaſ- me.* Vulg. *præbuiſti mihi laborem,* Luth. vnd haſt mir Mühe gemacht, connexivam E T ſupplens ut ἐλλείπουσαν. Eſt itidem 2. præter. Hiphil cum affixo נִי radix eſt יָגַע laboravit, defatigatus fuit. Convenire eam Förſterus in Lexic. ait cum radice נָגַע tetigit, & differre ab eodem modo ſignificandi, *attactionē ſc. laborioſam, & quæ cum anhelatione & defatigationē fit,* denotans. Et ſic pulcrè cum hoc verbo (quod Chriſti acerbum agona & paſſionem h. l. notat) conferri poſſet, quod Chriſtus patiens Eſai. 53. v. 4. dicitur נָגוּעַ *graviter attactus, percuſſus,* & v. 6. ubi Dominus in Chriſtum dicitur הִפְגִּיעַ *irruiſſe,* ſive *occurrere & incurrere feciſſe omnium noſtrûm iniquitates.* Hic ille attactus iræ divinæ, hæc illa defagatio, quam Salvator h. l. ſibi attribuit. Vid. plura inferiùs part 3. quæſt. 4.

37. בַּעֲוֺנֹתֶיךָ: Ariæm. *in iniquitatibus tuis.* Pagn. *propter iniquitates tuas.* LXX. ἐν ταῖς ἀδικίαις σου. Luth. in (Piſc. Herb. mit) deinen Miſſethaten. Eſt iterum plurale fœmininum præfixâ & affixâ voce ſtipatum. Abjecto ב præfixo & ךָ affixo, ut &

nota

י nota affixi ante pluralia fœminina: item ſyllaba ות formati-
va plur. manet עָוֹן perverſitas, vitium, malitia, peccatum (in
plur. maſcul. & fœmin. formâ gaudet) radix eſt עָוָה curvus,
cõtortus, perverſus, item ad animũ ſi referatur, pravus, malicio-
ſus fuit, perversè egit. Accẽtus finalis hujus verſus *Sillac* vocatur,
cui duo craſſiora puncta, *Soph paſuc* dicta adduntur (etſi pro eo-
dem accentu quidam habent) inveniuntur autem notæ illæ in
fine ſingulor. verſuum biblicorum, paucula ſi excipias loca, ubi
*Athnach* verſum claudit, Gen. 4, 8. c. 35, 22. Joſ. 4, 1. c. 8, 24. Jud, 2,
1. etſi & hîc aliis aliter videatur.

verſ. 25. 38. אָנֹכִי אָנֹכִי] *Ego, ego.* LXX. ἐγώ εἰμι, ἐγώ εἰμι,
repetitio ejusdem pronominis valdè emphatica, quâ remotis o-
mnibus cauſis meritoriis ſoli ſoli Chriſto laus illa & gloria gra-
tuitæ peccatorum remiſſionis vindicatur.

39. הוּא] Ariæm. *ipſe*, Pagn. *ſum.* Piſc. (bin) derſelbige.
Lut. ſenſu inviolato omiſit. Cæterũ Scripturæ uſu ſatis compro-
batũ eſt, *pronomina ejusmodi ſeparata* (ſi ſint absq; ה præfixo &
demonſtrativo) *peculiari elegantiâ vel loco verbi ſubſtantivi po-
ni, vel ellipſin ejusdem inducere.* Vide Geneſ. 3. v. 11. *quod nudus*
אָנֹכִי *eſſem* vel *ego* ſc. eſſem. Sic v. 17, 19. Exod. 12, 11. &c. Sic h. l.
*Ego ego* הוּא ſum (delens) vel *ego ego is*, ſc. ſum (qui deleo. &c.)

40. Quidam hac voce הוּא reſpectum haberi aſſerunt ad
nomen DEI, cujus vicem ſuſtinere Pronomen iſtud, patere pu-
tant ex Deut. 32, 29. *Videte nunc, quia ego ego* הוּא *ipſe, & non
ſunt Dii mecum*, id eſt, quòd ego ſum Deus vel Jehovah. Eſa. 42.
v. 8. c. 35. v. 4. Neh. 9. v. 7. Eſ. 46. v. 4. Quo fortean haud incongruè
referri poſſet vox ὁ αὐτὸς; quæ Chriſto propter immutabilitatem
(& conſequenter etiam propter Deitatem) tribuitur Heb. 13. v.
8. Et nomen αὐταυτὸς, *quod admirabili ſignificatus ambitu à ſe ex-
cogitatum* dicit ſubtiliſſimus Scaliger exerc. 365. ſect. 2. Quidam
etiam vocula הוּא in hoc textu poſita reſpici ajunt ad primævã
promiſſionẽ Gen. 3. v. 15. הוּא *ipſum* (ſemẽ mulieris) *conteret ca-
put tibi* (ſerpenti infernali) q. d. Ego ego ſum הוּא ille ipſe
illud ſemen mulieris, qui contriturus ſerpentis caput & prævari-
cationes tuas vi meriti à me præſtiti deleturus ſum. Sed prima
expoſitio plana eſt & ſimpliciſſima.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

41. מֹחֶה ] *delens* ſeu *qui deleo*, vel ſimpliciter étiam, *deleo.* Solent enim Hebræi, qui præſens indicativi non habent, pro eo uſurpare præſens participium ( LXX. ὁ ἐξαλείφων *deungens*, ſeu *quod illinendo adhæſerat, abſtergens*, quæ eadem vox græca uſurpatur Coloſſ. 2. v. 14. de obliteratione chirographi, ubi Syrus Interpres verbo עֲטָא utitur, quod *obducere litura, delere* ſignificat, cognationem habens cum Hebr. עֵט *calamus, ſtylus*, quaſi eſſet calamo ſeu ſtylo ſuperinducto ex chartâ ſcriptum aliquid delere ) Eſt partic. Benoni ſive præſens in Paal, radix eſt מָחָה terſit, abſterſit, abluit aquâ oculos, & per metaph. abolevit, removit, deſtruxit, evertit, & de peccato uſurpatum, *remiſit*, condonavit. *Quidam* metaphoram ajunt eſſe in hac voce, quando de peccatorum remiſſione uſurpetur, quâ alludatur ad tabulas rationum, in quibus annotantur debita, & ſignificare talem deletionem, cùm characteres debito perſoluto obliterantur & lineolâ perſtinguntur. Quô referunt parabolam de rege condonante decem millia talentorum Matt. 18. & quod de deletione chirographi Col. 2. v. 14. dicitur. Sicut autem debitum perſolutum quamvis lineolâ deleatur, ſignatura tamen & pictura literarum manet: ita quoq; peccata noſtra (ajunt) ex libro Dei expunguntur, non ut non amplius extent, ſed ne imputentur, cum Chriſti ſanguine ſint deleta Cujus rei uſus erit inferiùs q. 7.

42. פְּשָׁעֶיךָ ] Ariæm. *prævaricationes tuas*. Trem. *defectiones tuas*. vulg. *iniquitates tuas*, LXX. τὰς ἀνομίας σου. Luth. deine Vbertretung. Eſt plurale cum affixo 2. perſonæ ( propter quod terminatio genuina ים abjicitur ) à ſingul. פֶּשַׁע defectio, rebellio, transgreſſio, idque *tertium* peccati ſynonymon nomen eſt, in hoc unico textu Prophetico occurrens ( multa ſc. apud Hebræos, Græcos, Latinos & Germanos peccati nomina occurrunt, *ut vel ipſa appellationum frequentia naturam noſtram de extrema corruptione ſeu depravatione accuſet*, quæ ſunt verba Clariſs. Dn. D. Mentzeri in exeg. A. C. art. 2. pag. 57. ) radix eſt פָּשַׁע transgreſſus eſt voluntatem Domini ex ſuperbia, rebellis, ſeditioſus fuit, defecit. Concord. Hebr. *à R. Mardochai Nathan* conſcripta ajunt, *idem notare quod* זוד, id eſt, *ſuperbire, præſumtuosè agere, ex certâ malitiâ peccare; aut* מָרַד, id eſt, *rebellare*

 *præ-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

*prævaricari, deficere, unde dicit R. Kimhi, quòd ſit exire à voluntate vel præcepto, ex ſuperbiâ.*

43. לְמַעֲנִי ] *propter me.* LXX. ἕνεκεν ἐμοῦ. Luth. **Vmb meinet willen.** Eſt præpoſitio denotans *propter* (& cum infinitivo ſignificat *IIT, eò quod, propterea*) cum affixo 1. perſ. Illam quidam ab inuſ. radice מען, quidam ab עָנָה (*reſpondit*) deducunt, quaſi *cauſæ redditionem & reſponſionem denotet*. Prov. 16. v. 4. alia hujus vocis forma extat, לַמַּעֲנֵהוּ *propter ſemetipſum*, cùm deberet eſſe לְמַעֲנוֹ ſimplex igitur forma eſſet לְמַעֲנֶה (quæ nominum aliàs propria eſt) inde & d.l. nominis vicem ſuſtinere à nonnullis aſſeritur, de quo plura nunc non addimus. Hoc obiter notandum, לְמַעַן interdum *cauſam meritoriam & impulſivam*, ut h. l. interdum *cauſam finalem* ſive *objectum* denotare, ut c. eod. v. 14. לְמַעַנְכֶם *propter vos miſi in Babel*, id eſt, in uſum veſtrum. Accentus ſubſcriptus Atnach dicitur, mediæ diſtinctionis ſive coli utplurimum nota, etſi interdum planè non diſtinguit, Gen. 1. v. 1. Pſ. 36, 8. Pſ. 84, 4. Jer. 13, 13. &c.

44. וְחַטֹּאותֶיךָ ] *& peccata tua* ſive *peccatorum tuorum*. Eadem vox quæ anteà etiam adfuit, niſi quod variatio eſt in affixo, quod ſuperiùs ב h. l. ו copulativum eſt, genuinam ſignificationem (cùm aliàs valdè πολύσημον ſit) retinens.

45. לֹא ] adverb. negandi οὐ *non*, cujus ſignificata & idiotiſmos quære in Lexicis. Hoc loco nota, interdum א cum ו permutari, & in textu ſcribi לֹא cùm legi debeat לוֹ ipſi. Talia loca 15. Maſorithæ Hebræorum Critici obſervarunt, quor. enumerationem vide apud *Schindl.* in Lex col. 927.

46. אֶזְכֹּר ] Ariæm. *recordabor*. Trem. & Jun. in præſenti, *recordor*. LXX. μνησθήσομαι. Eſt autem futurum Paal ſive Cal (quod initialis litera א quæ אֵיתָן dici conſuevit, innuit) à radice זָכַר recordatus eſt, memor fuit, quomodo Deo attribuatur, vide inferiùs §. 69. De accentu finali dictum §. 37. Atq; hæc de ἐξηγήσει γραμματικῇ ſufficiant.

## Membrum II.

ἐξήγησις μεθοδικὴ καὶ θεολογική.

47. Be-

47. Benè *Auguſt.* de verb. Domini ſerm 2. *Legat inferiora & ſuperiora, & inveniet ſenſum, quem pravus volebat malè interpretari.* Ut igitur & noſtri textus perſpicua fiat explicatio, age paululum ad ſuperiora recurramus, & brevem totius capitis 43. proponamus ἀνάλυσιν.

48. Quatuor ejus conſtitui poſſunt partes. I. *Divina promiſſio.* Promittit enim Deus Eccleſiæ ( tùm Judaicæ, tùm Chriſtianæ in N.T. colligendæ ) 1. *gratioſam præſentiam & protectionem* verſ. 1. ſeqq. cujus adducit *partim* certitudinem, quæ nititur (a) *divinâ veritate. Sic dixit Dominus* v. 1. qui ſc. conſtans & verax eſt in promiſſis, (b) *divinâ benignitate*, palàm facta operibus gratiæ priſtinis, creatione, redemtione, vocatione, appropriatione, quæ ſingula eod. v. 1. continentur: *partim* modum & qualitatem: fit enim illa protectio 1. *per ereptionem ex periculis*, quorum duæ primariæ ſpecies exprimuntur, *aquar.* ſc. *& ignis*, v. 2. ( ut ex Pſalm. 66. verſ. 12. ) ex quibus particularibus univerſalis ( uſu Scripturæ conſueto ) extrui debet regula. 2. *per hoſtium directionem & averſionem*, aliò enim aliàsve ad terras remiſiſſe ſe Deus ait hoſtes, ut populo ſuo intereà parceretur. v. 3. 4. cujus cauſa *amor divinus* conſtituitur. v. 4. Promittit 2. *Gratioſam Eccleſiæ N.T. collectionem, gentiumq; vocationem*, v. 5. & ſeqq. cum quo confer Eſa. 49. v. 18. & ſeqq. Hæc capitis pars prima. *Diſpoſitio capitis 43.*

49. II. *Deitatis veræ aſſertio*, à v. 8. ſeqq. Quæ (ut in antecedd. quoq; capitibus ) expeditur mentione 1. *omniſcientiæ* & futurorum prædictionis: ubi κατ' ἄρσιν removetur omnis hominum ſapientia v. 8. 9. κατὰ θέσιν ponitur Deus omnia exactiſſimè ſciens, & ſervis ſuis, tùm *primario illi*, qui Chriſtus eſt, v. 10. tùm *ſecundariis* ſeu Prophetis futura revelans. v. 10. 12. 2. *æternitatis.* v. 11. & 13. 3. *miſericordiæ*, extrà ſe enim non eſſe inquit Salvatorem, v. 11. 4. *omnipotentiæ.* v. 13.

50. III. *Promiſſionis continuatio*, à v. 14. Promittit igitur Deus 3. *gratioſam ex captivitate Babylonica liberationem* v. 14. ſeqq. *& hoſtium captivantium deletionem.* ibid. 4. regreſſus fit ad beneficium ſecundum à Jehova promiſſum, *vocationis* ſcil. *gentium* tempore N.T. quæ ipſa ſuavibus proponitur metaphoris. 1. *germinationis* v. 19. *novum* ( inquit, beneficium) *germina-*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

*bit* תַּצְמָח quam novitatém de N.T. tempore exponendam eſſe, patet ex 2.Cor.5.v.17.Apoc.21.v.5. 2.*fœcundationis* locor. deſertorum ibid. 3 *cicurationis*.ferar.indomitarum v. 20. 4. *irrigationis* locor.aridorum, ibid.quibus beneficium dictum deſcribi patet ex v.21 ( Confer 1. Petr.1.v.9. *Neſcio*, inquit *Münſt*. in h. l. *ſi clarior aliquis locus ex Scripturâ contrà perfidos Judæos, quàm iſte ſit, produci poſſit, qui tàm apertè abroget Judæorum ceremonias & ſacrificia.* Populum, inquit Propheta, *novum formabit ſibi Dominus, qui pro ſacrificiis Moſaicis enarret laudes ejus.* Vide etiam Galatinum libr. 6. de arcan.Cath.verit.c.15. col. 370.) & ex collatione c. 32. v. 15. ſeqq.

51. IV. *Promiſſionis & beneficiorum divinorum cauſa ac ſcaturigo.* Multa & magna capite hoc & præced. promiſſa ſunt bona, ab iis ceu rivulis limpidis ad ipſum fontem Propheta digreditur, & cauſam manifeſtat, quâ motus Deus tanta humano generi, Eccleſiæ & populo Judaico bona & dona conferat.

52. Proponitur autem ea 1. ἀρνητικῶς, *negativè*. Cauſæ ſunt 1. non *merita* bonorum operum *moralium*, quæ v. 22. verbis *invocandi* & *laborandi* proponuntur. 2. neq; *merita* bonor. operum *ceremonialium* ſive *ſacrificia*, ea enim ſi abſq; fide fiant, idem eſt ac ſi non ſint oblata, hinc negat ſibi eſſe quæpiam oblata ſacrificia. v.23. neq; eo fine ( ut à Deo aliquid mererentur ) fuêre à Deo mandata, v. eod. inde etiam in ſe ad placandum Deum fuêre inefficacia, quod aſtruit v. 24. *& adipe victimarum* לֹא־הִרְוִיתָנִי *non inebriaſti me*, hoc eſt, explicante Luthero, *non poſſum placari ullis tuis ſtudiis, nulla tua opera & ſacrificia mihi ſatisfaciunt*. 2. θετικῶς poſitivè. Cauſa & remiſſionis peccatorum & reliquorum omnium beneficiorum, eſt unica & ſola mea gratia, in merito & ſatisfactione meâ fundata. v. 24, 25. de quo mox plura.

53. Huic & ἄρσι & θέσι (cur homo nihil mereri poſſit, omnia verò inſolidùm divinæ adſcribenda ſint miſericordiæ ) ſubjicitur cauſa v. 26. Omnes enim ſunt peccatores, à *primo Parente* Adamo conſtituti v. 27.( Rom. 3. v. 23. c. 5. v. 12, 19. ) inde ſi pro merito hominum Judæorumque agere vellet Deus, abjiciendi, anathematizandi, damnandi forent. v. 28. Hæc brevis eſt capitis

43. ana-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

43. analyſis. Nunc ad v. 24, 25. de qua pericope πρώτως nunc agimus, revertimur.

54. Duæ primariæ ſunt ejus partes. *Prior* de paſſione ſalvatoris: *Poſterior* de paſſionis merito & efficaciâ agit. Illa v. 24. hæc v. 25. continetur. *Diſpoſitio præſentis textus Prophetici.*

## *PARS PRIOR.*

55. In *priori* parte *tùm* ipſa paſſio, *tũm* paſſionis cauſa & objectum conſideranda proponuntur. *Ipſa Chriſti paſſio* duobus emphaticis exprimitur vocabulis. 1. אַךְ הֶעֱבַדְתַּנִי *veruntamen ſervire* vel etiam *laborare feciſti me*, utrumque enim vox Hebræa notat, quæ tamen conjungi, & hoc uno ſignificatu efferri queunt, *ſerviliter laborare feciſti me*, ſeu *laborioſè ſervire feciſti me*. Loquitur autem ut ſuperius aſſertum eſt, Chriſtus ipſe Mediator, ad paſſionem ſuam pro peccatis humani generis ab æterno præordinatus 1. Petr. 1. v. 20. & à Prophetis divinitùs illuminatis prædictus 1. Pet. 1. v. 10. 11. Annectitq; hæc ſua verba ſuperioribus μεταβάσει adverſativâ, q. d. tantùm abeſt, ut vel ſervitiis & operibus, vel ſacrificiis aliisque laboribus me ad gratiam inflexeris, & dicta beneficia promerueris: ut potius in duriſſimam ſervitutem ob peccata tua me conjeceris. Brent. in comm. h. l. ſenſu eodem ita connectit: *Non ego impoſui vobis hoc onus & hunc laborem, ut vos veſtris operibus expiaretis peccata: ſed potius mihi hoc onus propter magnitudinem & gravitatem veſtrorum peccatorum impoſitum eſt, ut ego aſſumam formam ſervi, & omnes humanas ærumnas, ac tandem etiam probroſam mortem &c.* *1. Ipſa paſſio.* *Connexio cum præced.*

56. Deſcribitur igitur acerba Chriſti paſſio & exinanitio usq; ad mortem crucis, vocibus *ſerviendi & laborandi*. Quare huc referenda omnia ea dicta, quæ de *ſervitute & labore* Filii Dei incarnati & in carne paſſi agunt.

57. *Servitus* Chriſto tribuitur aliquot in Scripturarum locis, idque fit 1. ratione *officii mediatorii*, ad quod expediendum à Patre miſſus eſt: Eſa. 42. v. 1. c. 43. v. 10. c. 52. v. 13. Ezech. 34. v. 23. Zach. 3. v. 8. in quibus locis *ſervus Dei* dicitur. 2. ratione *humanitatis* & in eâ mirandæ iſtius ταπεινώσεως ſeu *exina-* *Servitus cur Chriſto tribuatur?*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

*nitionis*, de quo loquitur Paulus Phil. 2. v. 7. *ſemetipſum exinanivit*, μορφὴν δȣ́λȣ λαβὼν, *formam ſervi* (id eſt, conditionem ſervilem, humilem & abjectam) *accipiens, in ſimilitudine hominum factus* (id eſt, ſimilis vulgaribus hominibus, ſubjectus omnis generis infirmitatibus humanis, excepto tamen peccato) verſ. 8. *& habitu inventus ut homo, humiliavit ſeipſum &c.* 3. ratione *hominum*, quibus in procurandâ & promerenda ſalute ſerviiſſe dicitur Matth. 20. v. 28 *Filius hominis non venit, ut miniſtraretur ei, ſed ut miniſtraret*, & (ſequitur ἐξήγησις illius miniſterii) *daret animam ſuam redemtionem pro multis.* Serviit a. Chriſtus pro ſalute humani generis 1. *Legi Dei ſe ſubjiciendo*, illamq; perfectè pro nobis implendo. Cùm enim *Dominus* eſſet legis & *Sabbati* Matt. 12. v. 8. Marc. 2. v. 28. nihilo tamen minus noſtri cauſa *factus eſt ſub lege* (tanquam ſervus) Gal. 4. v. 4. *ut eos qui ſub lege erant, redimeret*. verſ. 5. 2. *pro nobis in paſſione & cruce ſatisfaciendo*, quò pertinet quod Phil. 2. v. 8. Chriſtus in formâ ſervi aſſumta *obediens factus fuiſſe* dicitur usque *ad mortem, mortem autem crucis.*

*Labor cur Chriſto tribuatur.*

58. *Laboris* voce itidem paſſio Chriſti deſcribitur, præſertim Eſa. 53. v. 11. ubi vocatur עֲמַל נַפְשׁוֹ *labor* (qui cum miſeria, dolore & anxietate plurima conjunctus eſt, id enim vox Hebræa emphaticè notat) *animæ ejus.* Duplici autem reſpectu Labor Chriſto patienti adſcribitur, 1. *ob moleſtiam & anxietatem.* 2. ob conſequentem ſummam *utilitatem* (utrumque enim vox laboris ſignificatu ſuo comprehendit, juxtà illud Gen. 3. v. 19. *In ſudore vultus tui veſceris pane*, ubi & laboris utilis *effectus*, & connexa *moleſtia* indigitatur.) *Moleſtia* & anxietas Chriſti quanta quamque exacta fuerit, melius cognoſcere haud poſſumus, quàm ſi Chriſtum in horto ἀγωνίζοντα, apud Lucam c. 22. v. 41. ſeqq & in cruce de deſertione ſuâ conquerentem, apud Matt. 27. v. 46. & reliquos Evangeliſtas devotè aſpiciamus. *Utilitas* quanta ſit, ex conſideratione theſaurorum Chriſti paſſione ac merito partorum pateſcit. Hæc de ſervili Chriſti labore, & laborioſa ejus ſervitute.

59. Altera vox eſt הוֹגַעְתַּנִי *defatigaſti me*, de emphaſi vocis ſuprà ſufficienter dictum. Pſa. 22. v. 15. 16. Pſa. 69. v. 4. (ubi

eadem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

eadem vox habetur) & v. 22. hæc defatigatio ſatis exponitur. *Calvinus* metaphoricè *de tædiis* hanc vocem accipit,*quæ*(incommodâ voce) *devoraſſe Deus dicatur ob nequitiam populi ſui.* Cui quid reſpondendum ſit, part. 1. eſt dictum. Hoc loco notamus 1. nullum alibi hujus ſignificationis in hac voce de Deo uſurpatâ occurrere exemplum. Etiamſi quidam conferant locum, Eſa.1.v.14.ubi DEUS ſacrificia Judæorum & cultum Leviticum (ſine fide verâ adminiſtratum) improbans dicit: הָיוּ עָלַי לָטֹרַח נִלְאֵיתִי נְשֹׂא *fuerunt ſuper me ad defatigationem, defeſſus ſum* (ea) *ſuſtinendo*: quilibet tamen videt, eſſe diverſitatem *tùm* in ipsâ phraſi,*tùm* in re, de alia enim defatigatione, paſſionis nempè Chriſti hoc noſtro in textu agi, evidentia loci ſatis evincit,id quod in priori Eſa.1.textu locum habere non poteſt. Hactenus ipſa paſſio.

60. *Cauſa & objectum* exprimitur eodem verſu, quando dicitur, 1. quòd homines laborem iſtum & defatigationem Chriſto faceſſerint (quod verbis in Hiphil 3. conjug. tranſitivâ poſitis innuitur.) 2. quòd *peccatis ſuis* & iniquitatibus idipſum fecerint. *2. Paſſionis cauſa.*

61. Duo dicimus exprimi his ipſis verbis. *1. Cauſam.* Ea non *phyſicè* intelligenda, quaſi homines (univerſim conſiderati) manu quaſi injecta & vi illatâ Chriſtum in ſervitutem & laborem illum conjecerint, ſed *ethicè & moraliter*, quòd ſcilicet homines peccato corrupti, *occaſionem* dederint CHRISTO duram illam ſervitutem ſuſtinendi: vel quod propius accedit, quòd miſeria humani generis per peccatum πρωτοπλάστων introducta fuerit *cauſa* προκαταρκτικὴ *irritans* quaſi & movens divinam miſerationem, ut egenis ſuccurreret, neq; opus peſſundari ſuum funditùsq; deleri concederet. Hûc pertinent omnia Scripturæ loca, quibus Chriſtus dicitur *in mundum veniſſe, non ut judicaret mundum, ſed ut ſalvaret*. Joh. 3. v. 17. *ut ſalvum faceret populum ſuum à peccatis eorum.* Matth. 1. v. 21. *ut deſtrueret opera Diaboli.* 1. Joh. 3. v. 8. &c.

62. 2. *Objectum*, vel quidnam illud ſit, propter quod & cujus expiandi delendique gratia Chriſtus paſſus eſt. Peccata id ſunt, iniquitates ſunt. *Servire me* (ait CHRISTUS) *feciſti* בְּחַטֹּאותֶיךָ *in peccatis tuis*, hoc eſt, (ut Lyranus & Oſiand. *Et objectum.*

explicant ) pro peccatis tuis expiandis: *& defatigaſti me* בַּעֲוֹנֹתֶיךָ *in iniquitatibus tuis* ( delendis.)

63. Referantur hûc (omiſſis aliis longè plurimis) ſequentia Scripturæ loca, ex quibus lux noſtro textui infertur evidens. 1. Eſa. 53. v. 5. *Ipſe vulneratus eſt ob prævaricationes noſtras, attritus ob iniquitates noſtras. v. 5. retributio noſtra* שְׁלוֹמֵנוּ ( id eſt, quod ob peccata noſtra nobis ut juſta pœna debebatur) *ſuper eum, & livore ejus medicina parata eſt nobis. v. 6. Dominus fecit occurrere in eum iniquitatem omnium noſtrûm.* v. 12. *& ipſe peccatum multorum tulit.* 2. Johan. 1. v. 29. *Ecce agnus Dei,* ὁ αἴρων *qui tollit* (qui ſuſcipit in ſe & ſimul auffert) *peccatum mundi.* 3. 2. Cor. 5. v. ult. *Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum* ( non ἐνυπαρκτικῶς *& inhæſivè*, cujus reſpectu eodem verſu dicitur *non noviſſe peccatum*: ſed λογιστικῶς, *imputativè*, non ſuſcipiendo ſolùm pœnas peccatorum noſtrorum, ſed etiam imputatione peccatorum ſibi facta. Eſa. 53. v. 6.) 4. 1. Pet. 2. v. 24. *Chriſtus peccata noſtra* ἀνήνεγκεν ( id eſt, ἄνωσε ἤνεγκεν *ſurſum tulit*, reſpicit ad verba Eſa. 53. v. 4. *morbos noſtros ipſe portavit, & dolores noſtros bajulavit* ) *in corpore ſuo ſuper lignum &c.*

## *PARS POSTERIOR.*

64. Poſt factam acerbæ paſſionis mentionem, ejusdem *uſum fructumq́;* proponit ipſemet Salvator verſ. 25. qui ad Dei propitiationem, noſtrorumq́; peccatorum condonationem refertur, ex quo ceu fonte reliqua beneficia univerſa profluunt. Rom. 4. v. 6. 7. 8. cap. 5. v. 1. ſeqq. Agendum autem de hoc verſu diſtinctius.

*1. Cauſa efficiens remiſſionis.*

65. Proponitur in eo gratuitæ remiſſionis *1. Cauſa efficiens* αὐτοκρατορική. *Ego ego ille* (ſum, qui) *deleo* &c. inquit Jehova extrà quem non eſt ſalus. Repetitio ejusdem pronominis fit, 1. *ad perſonæ excellentiam demonſtrandam*, ut videlicet cogitemus, quantus is ſit, qui ſuam nobis in ignoſcendis peccatis clementiam promittit, ipſe videlicet Dei filius unigenitus, qui pro ſua juſtitia omnes peccatores odiſſe & æternum damnare debebat & poterat Pſalm. 5. v. 5. Pſal. 45. v. 8. Confer Roman. 5. v. 8. 2. *ad beneficii magnitudinem oſtendendam*, ut ſcilicet cogitemus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

mus, tantum illud eſſe, ut ipſi ſoli in ſolidum ſit ad ſcribendum. Removerat in præced. verbis omnia operum merita: nunc per antitheſin opponit, ſe unum & ſolum eſſe, qui peccata propter ſe remittat. Confer Eſa 63. v. 2. Act. 4. v. 12.

66. Cæterùm ſolius DEI eſt peccata αὐτοκρατορικῶς condonare, utpote *cui ſoli à nobis peccatur* Pſa. 51. v. 6. & qui unus eſt ille νομοθέτης, *qui poteſt perdere & ſalvare*. Jac. 1. v. 12. Unde etiam Phariſæi hoc opus ſolius Dei eſſe rectè judicabant, Matth. 9. v. 2. 3. & Chriſtus ipſe verum Deum ſe exinde comprobat. ibid. v. 6. Is igitur, qui verus Deus & ſimul mediator noſter eſt, h. l. aſtruit, ſe eſſe eum qui peccata remittat.

67. Voce הוא non incongruè dicitur reſpectum haberi ad *gratiæ hujus immutabilitatem*. Sicut enim Heb. 13. v. 8. dicitur: *Jeſus Chriſtus eſt* ὁ αὐτὸς *idem* (id eſt, immutabilis in ſuâ veritate, miſericordiâ, promiſſione, beneficiis) *heri, hodiè & in ſecula*: ità h. l. ait Jehovah ſalvans, ſe eſſe הוא *eundem*, qui delet, delevit & delebit vi meriti ſui peccata hominum, donec omnia ad perfectionem abſolutiſſimam perducat.

68. 2. Remiſſionis peccatorum *modus*. Is duabus exprimitur phraſibus. 1. מֹחֶה *delens* (prævaricationes tuas) de ſignificatu vocis ſuperiùs actum in analyſi grammaticâ. Fit autem peccatorum illa deletio 1. & *primariò* in *juſtificatione* & regeneratione hominis peccatoris, in quâ gratis per ſolam fidem in Chriſti merito recumbentem ipſi peccata à Deo remittuntur, non *ut non amplius inſit peccatum*, *ſed ut non imputetur*. Vide Rom 4. v. 5. ſeqq. cap. 8. v. 1. Etſi autem perfecta ſit peccati in homine renato remiſſio, nondũ tamen perfecta eſt ejus abolitio: manet enim in eo τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας Rom. 6. v. 6. καὶ τοῦ θανάτου Rom. 8. v. 24. manet *homo vetus & carnalis* v. 14. *venundatus ſub peccatum*, ibid. manet *lex membrorum repugnans legi mentis, & captivans hominem in lege peccati &c.* v. 23. idcirco deletio illa fit quoq; 2. in *renovatione* & ſanctificatione, quando homo renatus Spiritus ſancti adjutus gratiâ *carnem crucifigit cum concupiſcentiis ejus, ne regnet peccatum in ſeipſo* Roman. 6 v. 12. & *renovatur de die in diem*. 2. Corinth. 4. v. 16. Quia autem ad plenam in hac vitâ ſanctificationem & peccati abolitionem per-

*2 Remiſſionis modus. Quomodo deleantur peccata?*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

venire eſt impoſſibile, ideò deletio peccatorum fit 3. in *morte* per ablationem *ſenſus* peccati. 4. *in cinefactione*, per ſublationem ipſius peccati *radicis*: Et tandem plenaria conſummataq; fiet deletio 5. in univerſali & glorioſâ *reſurrectione*, ubi ἐπινίκιον cum gloriâ æternâ decantari incipiet, *ubi eſt mors, ſtimulus tuus* (*ſtimulus autem mortis peccatum eſt*) 1. Cor. 15. v. 55, 56.

69. 2. Ne opinio Papiſtica ſuboriri poſſit, illam deletionem (quæ in regeneratione homini contingit) notare perfectam peccati extерſionem & omnimodam ablationem, ipſemet Chriſtus explicationem ejus ſubjungit, inquiens: *Et peccatorum tuorum non recordabor*. Quæ phraſis occurrit etiam Jer. 31. v. 34. (ubi de N. T. fœdere ſermo eſt, atteſtante Epiſtola ad Hebr. 10. v. 16, 17.) Ezech. 18. v. 22. c. 33. v. 16.

*Recordatio quomodo Deo tribuatur?*

Tribuitur autem Deo *reminiſcentia* ſeu ἀνάμνησις & *recordatio*, partim quidem μεταφορικῶς καὶ ἀνθρωποπαθῶς, partim etiam μετωνυμικῶς. *Prius*, dùm id quod hominis eſt, ad Deum transfertur, qui propriè loquendo, nec rerum oblivioni nec earundem reminiſcentiæ obnoxius eſt. *Poſterius*, dùm per verbum iſtud *cognitionis*, effectus cognitionem conſequens intelligitur. *Peccatorum* igitur *non recordari* (ſi de Deo dicatur, & θεοπρεπῶς intelligatur) *eſt non oſtendere vel edere externum offenſionis atq; indignationis documentum: ſeu peccata non punire, utpote cùm ſint merito Chriſti tecta, & propter illud remiſſa*. Mich. 7. v. 18, 19. pulcra hujus phraſeos continetur expoſitio, quam vide.

*3. Remiſſionis objectū.*

70. 3. *Remiſſionis iſtius objectum*. Illud ſunt פְּשָׁעִים וְחַטָּאוֹת *prævaricationes & peccata*. In priore parte peccata etiam ut objectum conſiderata ſunt, univerſalis ſcil. à Chriſto factæ expiationis: Hîc conſiderantur ut objectum remiſſionis, quæ vi univerſalis λύτρου unicuiq; verâ fide illud ſibi applicanti contingit. De *priori* loquitur dictum Heb. 1. v. 3 ubi dicitur, quòd Chriſtus δι᾽ ἑαυτοῦ *per ſeipſum purgationem*, καθαρισμὸν *peccatorum noſtrorum fecerit* (*tollens ſc. ea ſuper lignum in ſuo corpore* 1. Petr. 2. v. 24.). De *poſteriori* loquitur dictum 1. Joh 1. v. 7. *Sanguis Jeſu Chriſti Filii Dei emundat nos ab omni peccato*.

*4. Fundamentum & meritum.*

71. 4. Remiſſionis *fundamentum & meritum*. Etſi in v. præced paſſionis & mortis Chriſti facta eſt mentio, quâ ſuffi-

ciens

ciens λύτρον pro debitis peccatorum noſtrorum eſt perſolutum: tamen non ſine inſigni emphaſi illud hoc etiam verſu repetitur. Ita enim Salvator: *Ego ego ille, delens iniquitates tuas* לְמַעֲנִי *propter me.* Piſcator Herborn. τελικῶς ſeu *finaliter* vocem illam interpretatur, ut ſit idem ac *propter meam gloriam, ut ſc. manifeſta fiat bonitas atq; miſericordia mea.* Licet a. abſolutè hæc interpretatio rejicienda haud ſit, cùm ad eundem tandem collimet ſcopum ( gloria quippe Dei iſta eſt, quòd præter eum & extra eum non ſit ſalus Eſa. 43. v, 11. propter illam gloriam manifeſtandam quando Deus remittit peccata, utiq; omnia conſequendæ remiſſionis vel ſalutis merita excludit) tamen textui & ἀντιθέσει præcedenti concinnius eſt, ſi non de cauſa finali, ſed de *cauſa efficiente impulſivâ* h. l. ſermonem eſſe aſſeramus. Præcedit enim operum & meritorum humanorum mentio, propter quæ negat Dominus hominibus quicquam præſtari beneficentiæ: Nunc ſeipſum opponit omnibus cauſis meritoriis atque impulſivis, quòd ipſe ſolus, & propter ſe ſolum ( verâ ſcilic. fide apprehenſum ) velit condonare iniquitates. Proponit igitur ſeipſum hîc Chriſtus ut *Mediatorem, propter quem & in quo* Dei dilectio nobis peccatoribus contingit. Quæ Zanchii etiam & Oecolampadii eſt expoſitio, ut ſuperiùs eſt dictum.

*72.* Eſa. 48. verſ. 11. eadem extat Jehova loquela, לְמַעֲנִי *propter me, propter me id faciam.* Ubi tamen *de cauſa finali* ſermonem eſſe ſubſequentia oſtendunt verba, ut ſit ſenſus: *propter ſuam gloriam,* aſſerendam ſcil. & manifeſtandam Jehovam id præſtiturum. Propius ad locum noſtrum præſentem accedit, quod Eſa. 37. verſ. 35. dicit Dominus: *Protegam hanc civitatem ad ſervandum eam* לְמַעֲנִי *propter me & propter David ſervum meum.* Ubi tamen non ipſius Davidis opera ſive merita, ſed promiſſio à Deo Davidi facta, 2. Sam. 7. verſ. 12. ſeqq. Pſalm. 89. verſ. 20 ſeqq. Luc 1. v. *69, 72.* quam verâ fide ſibi applicavit, intelligitur. Et ſic nihilominus Soli Mediatori CHRISTO in promiſſionibus veraci, laus ea in ſolidum vendicatur &c.

# *PARS III.*

## Uſum tùm elencticum tùm practicum complectens.

73. B. *Lutherus* hunc Prophetæ textum exponens: *Hic locus, inquit, diligenter cognoſcendus eſt, continet enim maximos fidei noſtræ articulos.* Verè ita eſt, ut in ſalubri ipſius uſu faciemus nunc palam. Duæ autem diſtinctæ hac in poſtrema parte conſtituendæ ſectiones: *Prior* uſum elencticum exponet, & quæſtiones controverſas proponet, quarum ἐπίκρισις ex hoc textu hauriri poteſt. *Poſterior* uſum practicum in conſolatione, adhortatione &c. conſiſtentem attinget.

## SECTIO PRIOR.

### Quæſtiones controverſas exponit.

### QVÆSTIO I.

### *An Chriſtus ſit verus & æternus Deus?*

74. Etſi perduelles Chriſti hoſtes, *Photiniani* conqueruntur, falsò ſibi tribui, quòd negent veram Chriſti Deitatem ipſumque pro ψιλῷ ἀνθρώπῳ habeant, meris tamen ludere præſtigiis manifeſtò deprehenduntur. *Catech. Racov* p. 48. fatetur, *evidentiſſimè oſtendi poſſe Dominum Jeſum pro puro homine reputari nullo modo poſſe.* At quomodo hoc explicant? *Oſtor.* in Inſt. p 132. *Cùm quis* (inquit) *purus & ſolum homo perhibetur, duobus modis id intelligi poteſt, & ratione eſſentiæ & ratione qualitatum. Si ratione eſſentiæ illud intelligatur, tùm fatemur, eſſentiam Chriſti utpote veri hominis non aliam niſi humanam eſſe. Sin vero ratione qualitatum, & qualis ille homo ſit, conſideretur, dicimus Chriſtum non nudum purum & ſolum hominem eſſe, ſed aliquid amplius.* Sic fatentur quidem, Chriſtum eſſe verum Deum, at audi rurſus præſtigias *Catech.* p. 64. *Chriſtus* (inquit) *etſi verus Deus ſit, non eſt tamen ille ex ſe unus Deus, qui per ſe & perfectiſſimâ ratione Deus eſt, cum is Deus tantùm ſit Pater.*

75. Lubricis hiſce ſophiſticationibus meritò opponi-

tur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

tur iſtud *Cyrilli* lib. 12. cap. 13. ubi explicans locum 1. Joh. 5. v. 20. *Hic eſt verus Deus & vita æterna*, ſubjungit. *Qui Deus verus eſt, natura Deus eſt*.

76. Alibi de hoc ipſo tractatur uberius, hac vice unicum ex textu noſtro pro ſtabiliendâ verâ & æternâ Jeſu Chriſti Deitate producimus argumentum, quod tale. *Qui laborioſam ſervitutem & defatigationem ſubiit propter peccata hominum, eademq; delet, is eſt Jehova, Deus Sanctus Iſraëlis. Atqui Chriſtus idipſum præſtitit. Ergò*. Major in confeſſo eſt, & nititur connexione verſ. 24. 25. cum verſ. 14. 15. ex quâ verum naturâ Deum loqui liquidò conſpicitur. *Minor* tamdiu certa erit & veriſſima, donec hunc textum de Chriſto non agere, evidenter fuerit probatum, id quod nec à Photinianis nec à Calvino fieri unquam poterit. Vide part. 1.

77. Addimus argumentum alterum: *Propter quem ſolum delentur & condonantur peccata*, is eſt verus naturâ & æternus Deus. At propter Chriſtum ſolum delentur & condonantur peccata. E. Major tùm expreſsè verſ. 25. continetur, ubi remotis prius omnibus aliis remiſſionis peccatorum, & ſalutis meritis ſe ſolum ſiſtit Jehova, propter quem deleantur peccata; tùm v. 11. ſtabilitur, cujus verba ſunt: *Ego ego, Dominus & non præter me ſervator*. Minori tota Scriptura ſtabilimentũ affert. Act. 4. v. 12. &c. de exceptionibus hæreticorum agemus in ipſâ συζητήσει.

## QVÆSTIO II.

### *An Chriſtus pro peccatis noſtris juſtitiæ divinæ ſatisfecerit?*

78. Quemadmodum Philiſtæi olim fontes Abrahæ, quibus utebatur Iſaac, cœno obſtruebant, & implebant pulverem, ut dicitur Gen. 26. v. 15. Sic Photiniani fontem unicum & limpidiſſimum, ex quo ſolo omnis ad filios Abrahæ benedictio & ſalus profluit, Johan. 1. verſ. 16. quantum in ipſis eſt, obturare & cœno blaſphemiarum ſuarum atq; ἑτεροδοξιῶν obſtruere non verentur, dum *redemtionis* & ſatisfactionis noſtræ à Chriſto præſtitæ myſterium pernegant. Verum ſicut non paſſus eſt

 Iſaac

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

Iſaac hanc injuriam, ſed fontibus iſtis priſtinum foſſione ſuô reſtituit vigorem: Ita meritò nos quoq; pro limpidâ hac ſalutis ſcaturigine aſſerenda & conſervanda contrà hoſtes veritatis fortiter pugnamus.

79. Noſtram eamq; veriſſimam ſententiam, *quod Chriſtus propter peccata noſtra expianda, & ad juſtitiæ divinæ ſatisfaciendum paſſus & mortuus fuerit*, ex præſenti textu hoc modo firmamus: *Qui ſuſtinet ingentes labores & dolores propter peccata, & propter ſeipſum (laboribus & ſervitute preſſum) peccata delet, is & peccata noſtra eorumq; pœnas in ſe ſuſcepit, & pro peccatis ſatisfecit, ita ut non ex ſolâ & nuda Dei miſericordia (exclusâ ſatisfactione) ea remittantur. At de Chriſto prius affirmat textus præſens Propheticus. Ergò.*

80. Excipiunt nefarii homines. 1. in genere, *Chriſtum tantùm exempli cauſa paſſum eſſe, non ut ſatisfaceret pro peccatis.* Falsò. Laborare, ſervire & defatigari hîc dicitur Chriſtus, non propter exemplum, ſed *in peccatis* ſeu *propter peccata* delenda ſc. & expianda. Confer alia Scripturæ loca ſolis radiis ſcripta, præſertim Eſa. 53. v. 4. 5. 6. 1. Pet. 2. v. 24. quibus textui noſtro lux præclara confertur.

81. 2. In ſpecie ad h. l. *Non agi in h. l. de Chriſto vel ipſius ſatisfactione, ſed de moleſtia Dei* κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν *ſic dicta, quam propter peccata hominum ſuſtinuerit. Socin.* in defenſ. animadverſ. contra Eutropium c. 4. p. 126. *Non videtur ibi* (h. l. v. 24) *agi de redemtione ulla, ſed tantùm de moleſtia & labore, quem Deus, humano more loquens, dicit ſe ſuſcepiſſe propter peccata populi, id quod non minus in eo puniendo quàm redimendo, evenire potuit.* Reſp. Quæ Calvino eadem detorſione uſo ſuperius reſponſa ſunt, ſunto etiam huic reſponſa exceptioni. Quod Socinus attexit, laboris illius ſuſceptionem potuiſſe fieri *non minus in puniendo quam redimendo*, illius ſuprà §. 24. non minus oſtenſa eſt falſitas, cum Deus hîc non ut iratus ultor ſed, ut benevolus Redemtor introducatur. Confer quæ de tota hac controverſiâ diſſerit Clariſs. Dn. D. *Gerhardus* Præceptor & Patronus meus Parentis inſtar honorandus & dilectus Tom. 3. locor. de Juſtif. §. 35. ſeqq.

QVÆ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

## *An filius Dei ſeu Deus verè ſit paſſus?*

82. Præter Neſtorium ejusq; aſſeclas negant id ipſum *Calviniani*, qui ad *ſolam humanitatem* paſſionem Chriſti reſtringunt, eandem humanitatem non divinitati ſeu divinæ naturæ, ſed toti perſonæ Chriſti, & ſic etiam Filio Dei opponentes. Contrà quos in textu noſtro validum militat argumentum, ubi *ipſe Jehova* (qui eſt Filius Dei) *ſibi* ſervilẽ laborem, & paſſionis moleſtias adſcribit. Idem etiam qui delet peccata propter ſe, idem inquam dicitur paſſus. At qui delet peccata propter ſe, Jehova eſt. E.

83. Obſerva autem hîc 1. Laborem illum ſervitutis ac paſſionis Jehovæ ſeu Filio Dei adſcribi, non *ἀσάρκῳ* ſed *ἐνσάρκῳ*. Etſi enim verbis præteritis utatur Propheta, fit tamen iſtud 1. propter rei futuræ *certitudinem*, more Prophetis aliàs ſatis uſitato. 2. propter futuræ paſſionis *efficaciam*, quæ pro fuit etiam antequam fuit. Confer Heb. 13. verſ. 8. Apoc. 13. v. 8. 2. Filium Dei cùm Scriptura dici à nobis paſſum & mortuum, non *in naturæ divinæ proprietate*, ſed *in aſſumtæ humanæ naturæ infirmitate*, ut loquitur Leo 1. Epiſt. 10. ad Flav. ſeu ut loquamur cùm Apoſtolo, *σαρκὶ carne* 1. Pet. 3. v. 18. c. 4. v. 1.

84. Excipiunt Calviniani 1. *Αλλοίωσιν hanc eſſe, quâ ea quæ dicuntur de filio Dei, ad ſolam humanitatem ſint reſtringenda*, cujus *ἀλλοιώσεως* autor Zvvinglius eſt. Verum de Diaboli iſtâ larva vide præclarè diſſerentem, eamque detrahentem Lutherum in confeſſ. ſuâ majori & in Formul. Conc. pag 770. 771. 2. *Eſſe illas prædicationes verbales, figuratas & ſynecdochicas*: quæ Bezæ, Urſini, Piſc. & aliorum eſt exceptio. *Junius* in theſ. Theol. diſp. 27. §. 20. loquendi modum hunc appellat *improprium maximè*. Reſp. 1. Sic ne in omnibus iſtis dictis Act. 3 v 15. cap. 20. v 28. 1. Cor. 2. v. 8. 1. Theſſ. 2. v. 15 Apoc. 11 v 8. S. Sanctus impropriè locutus eſt? 2. Hac exceptione Neſtoriano auſu & realis ex unione perſonali reſultans *ἰδιοποίησις* tollitur, & perſona *θεανθρώπου* divellitur, & axioma illud veriſſimum (*actiones & paſſiones ſunt ſuppoſiti*,) convellitur, & lytri ſufficientia ac ef-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

ac efficacia enervatur,imò funditùs evertitur, cujus rei teſtem producimus *Calvinum* libr. 2. inſt. c.17. ſect. 1. itâ loquentem: *Equidem fateor, ſi quis ſimpliciter & per ſe Chriſtum opponere vellet judicio Dei, non fore merito locum, quia non reperiatur in homine dignitas, quæ poſſit Deum promereri.*

## QVÆSTIO IV.

## *An Chriſtus paſſus ſit dolores infernales?*

85. Per *dolores infernales* nihil aliud intelligimus, quàm horrendã iram & judicium Dei, quô peccata pro ſequitur, tyrannidem Satanæ, maledictionem legis, abjectionem à facie DEI, æternæq; mortis horrorem, quæ omnia impetu quaſi facto in Chriſti ἀγωνίζοντος & patientis ſanctiſſimam animam irruiſſe, & ad tempus horribiliter eam afflixiſſe, *affirmant* Catholici orthodoxi, *negant* Cacolyci Jeſuitæ. *Bellar.* lib.4. de anima Chriſti c. 8. *Fr. Suaretz.* controv. in 3. Thom. tom. 2. quæſt. 46. ſect.1. Cujus quæſtionis deciſio, & affirmativæ veritas pateſcet evidentiſſimè, ſi יְגִיעַ laborem, moleſtiam, laſſitudinem ſeu dolorem illum conſideremus, qui h. l. Chriſto Mediatori v.24. tribuitur. Dictum eſt ſuperiùs § 22 cap. 53. Eſ. hujus noſtri textus pleniſſimum eſſe quaſi commentarium. Perpendemus igitur hac vice tantùm emphaſin verborum, de hac re in dicto capite 53. occurrentium.

86. I. v. 11. *moleſtia* & laſſitudo illa, cujus jam facta mentio, exponitur per עֲמַל־נַפְשׁוֹ *laborem animæ ipſius*: De emphaſi vocis ſuprà §.58. hac vice notari volumus, laborem illum referri ad ipſam Chriſti *animam*, quam judicii divini, maledictionis, abjectionis, & omninò graviſſimarum tentationum Diabolicarum ſenſu, & inde ortâ incredibili mœſtitiâ ac dolore afflictam fuiſſe, conſtat ex Chriſti ipſius ἀγωνίζοντος in horto (antequam corporis παθήματα ſuſtineret) graviſſimâ de hac re querelâ Matt.26. v.38. περίλυπος ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου, *triſtis eſt* (ſummoperè dolens, ſuprà modum & undiquaq; mœſtitiâ quaſi obruta eſt) *anima mea usq; ad mortem*, unde & ibid. v.37. de ipſo narratur, quod *cœperit* λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν *contriſtari atque angi graviſſimè.* Unde etiam diſcipulos ad vigilantiam & preces hortatur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

tatur, *ne intrent in tentationem*: v.41. eo ipſo oſtendens, omnium exquiſitiſſimis in anima ſua ſe affligi tentationum fluctibus, unde etiam confortatione ἐνισχύσεως Angeli cœlitùs miſſi opus habuit. Luc. 22. v. 43. Confer Joh. 12. v. 27.

87. 2. Eſai. 53. v. 4. labor iſte & moleſtia porrò ità exponitur, quòd Chriſtus ſit נָגוּעַ מֻכֵּה אֱלֹהִים וּמְעֻנֶּה *plagatus* (ita Ariæm.) *percuſſus Dei* ſeu à Deo *& humiliatus*, quæ omnia non ad corporis tantùm, ſed animæ etiam afflictiones & paſſiones pertinere evidenter conſpicitur.

88. 3. Præſertim autem v. 5. apprimè hoc ipſum explicatur, quando dicitur, מוּסַר שְׁלוֹמֵינוּ עָלָיו *caſtigatio retributionum noſtrarum ſuper ipſo.* (Quædam equidem exemplaria in ſingulari legunt שְׁלוֹמֵנוּ LXX. εἰρήνης ἡμῶν Vatabl. Trem. & Vulg. *pacis noſtræ*: Sed Veneta ac Ariæmont. editio, ut & Schind. in Lex. p. 1875. י interpoſito in plurali legunt, שְׁלוֹמֵינוּ, quod idem Schind. d. l. vertit *integritatum noſtrarum*, h. e. omnium noſtrûm, à שָׁלַם integer, abſolutus fuit &c. alii pacificationũ noſtrarum, ſed concinnius vertitur *retributionum noſtrarum*, quæ ſignificatio vocis hujus extat Pſalm. 69. v. 23.) hoc eſt, caſtigatio, quæ peccatorum noſtrorum juſta retributio eſt, ſeu quæ juſtæ retributionis ac pœnæ loco ob peccata noſtra ſuper nos venire debebat, venit ſuper eum (Chriſtum) Quænam autem illa *retributio*? Rom. 6. v. 23. ὀψώνια *ſtipendia peccati mors eſt*: mors ſc. non temporalis modò, ſed præcipuè æterna, quæ eſt alienatio à gratiâ Dei, horror inferni, & συλλήβδην dicendo, dolor infernalis, ut docet ſubjuncta oppoſitio. Eandem igitur retributionem, eadem ſtipendia d. l. Chriſtum pro nobis ſenſiſſe apertè dicitur. Benè *Sanctius* Jeſuita in Eſa. h. l. *Diſciplina* (inquit) *retributionis noſtræ ſuper eum*, id eſt, *ſupplicium, quod nos retribuere ac rependere debuimus pro peccatis noſtris, ſuper eum impoſuit Deus*, id eſt, *quicquid pœnarum Deus à nobis exigere debuit pro peccatis, id ab innocenti Filio Pater exegit*. Hæc ille, noſtram de ſenſu dolorum infernalium in Chriſto ſententiam liquidò comprobans.

89. 4. v. 6. dicitur *Dominus* הִפְגִּיעַ *occurrere feciſſe in Chriſtum patientem inquitatem omnium noſtrûm.* Ubi triplex emphaſis. 1. quòd עָוֺן *iniquitas* (& peccatum & peccati pœna,

quod in ſingul. ponitur, ut totus & unus quaſi cumulus peccatorum & pœnarum peccatis debitarum innuatur, ſicut Joh. 1. v. 29. de Chriſto dicitur, quòd ſit *agnus Dei tollens* τὴν ἁμαρτίαν *peccatum mundi.*) 2. quòd *iniquitas omnium noſtrûm* (totius generis humani, pœna quæ ob peccata totum orbem inundare debebat) 3. *quòd iniquitas omnium noſtrûm fuerit velut agmine facto in Chriſtum quaſi conglomerata & deducta.* (ea enim vis nativa vocis Hebrææ eſt) at inter has pœnas peccatis noſtris debitas præcipuam, dolores ſcil. infernales, Chriſto non fuiſſe impoſitam, quis nobis perſuadebit?

90. 5. Tandem dicitur etiam *ex carcere & judicio* מִמִּשְׁפָּט (judicio ſc. iræ divinæ ſuper peccata) *ſublatus* v. 8. *cum peccatoribus numeratus* verſ. 12. (non ſolùm quando inter duos latrones medio loco cruci affixus eſt, ſed etiam quando ipſemet *peccatum* pro nobis factus 2. Cor. 5. v. ult. & *maledictum* Galat. 3. v. 13. & ut ſceleratiſſimus peccator à Deo punitus fuit) & quæ aliæ in hoc capite occurrunt iſtiusmodi deſcriptiones, ex quarum omnium conſideratione dogma Pontificium falſum, noſtra verò doctrina vera ac orthodoxa eſſe manifeſtò conſpicitur. Alia argumenta, ut & argumentorum adverſariæ partis ἐπίλυσιν brevitatis ſtudio nunc omittimus.

## QVÆSTIO V.

### *An Chriſtus ſit paſſus & mortuus pro omnium hominum peccatis?*

91. Etiam hac de quæſtione hoc tempore & in explicatione textus hujus Prophetici haud inutiliter agitur. Negativam autem amplectuntur abſoluti decreti Patroni, *Calviniani*, qui Chriſtum pro ſolis abſoluto decreto electis mortuum eſſe dictitant. Nos errori iſti (quem alibi jugulatum Scripturæ gladio ancipiti vide, præſertim apud Dn. D. Gerh. tom. 3. loc. de elect. §. 107. ſeqq. Meiſn. in ἀνθρωπολ. dec. 2. diſp. 13.) hac vice unicum ex textu noſtro collato cum c. 53. Eſaiæ, opponimus argumentum. *Illi laborare & ſervire fecerunt Chriſtum in peccatis ſuis* (ſeu quod idem eſt, illorum peccata Chriſtus in ſe ſuſcepit, proq; iis ſatisfecit) *qui quaſi oves erraverunt. Atqui omnes omninò ho-*

nò ho-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

*nè homines tales ſunt.* Ergò. *Major* collatione textus præſentis cum Eſa. 53 v. 6. qui maximè parallelus καὶ ἐξηγητικὸς iſtius eſt, nititur. *Minor* tùm ex manifeſtâ literâ d. v. 6. tùm ex collatione locorum Pſ. 14. v. 2, 3. Rom. 3. v. 11, 12. elucet. Alia ad conflictum differimus

## QVÆSTIO VI.

### *An Chriſtus etiam ſecundum divinam Naturam ſit noſter Mediator?*

92. Sicut Calviniani divinam Chriſti naturam à paſſione: ita *Stancarus* (de cujus erroris origine primâ vide Oſiand. cent. 16. hiſt. Eccleſ. lib. 3. c. 23.) & qui ipſum ſequuntur, *Jeſuitæ*, eandem à paſſionis merito & mediationis officio excludunt. Utrumq; erroneum & falſum eſt. De priori q. 3. actum. De poſteriori ſententiâ, ut hac quæſt. agamus, monet nos ἀφορμῆς concinnitas. Suppeditatur enim nobis in textu præſente *tùm* noſtræ ſententiæ κατασκευῆς *tùm* objecti à contrariâ parte argumenti ἀνασκευῆς firmamentum.

93. 1. Pro noſtræ ſententiæ ſtabilitione ita λογιζόμεθα. *Qui propter peccata noſtra expianda laboravit* (in redemtione) *& peccata propter ſe ut mediatorem delet* (in juſtificatione) *is ab officio mediatoris excludi minimè debet vel poteſt. At Chriſtus ut Jehova idipſum præſtat.* Ergò. Minor ex illa ratione patet, quia hic ipſe, qui loquitur, eſt Jehova, de ſe aſſerens, quòd ſerviat, quòdq; peccata remittat.

94. 2. Pro ſua opinione ita concludunt Stancariſtæ: *Alium eſſe oportet mediatorem & alium cui fit reconciliatio. Atqui Chriſtus quà* Λόγος *& Deus, non eſt alius ab eo, cui fit reconciliatio. Ergò Chriſtus quà* Λόγος *non eſt mediator.* At ex noſtro textu majoris falſitas liquidò oſtendi poteſt. Dicit enim Salvator, quòd reconcilientur ſibi homines propter *ſeipſum,* לְמַעֲנִי ut mediatorem ſcilic. pro peccatis hominum λύτρον ſufficiens perſolventem. Confer 2. Cor. 5. v. 19. Alias ad argumentum reſponſiones vide tom. 1. locorum Dn. D. Gerhardi de perſona Chriſti §. 180.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

## QVÆSTIO VII.

### *An peccatorum remiſsio per totalem eorundem deletionem ſit definienda?*

95. Ita vult *Bellarmin. dum in baptiſmo peccata verè & totaliter tolli,* ( l. 1. de bapt. c. 13.) *in Juſtificatione prius peccata fugari, poſteà ſuccedere infuſionem gratiæ,* ( lib. 2. de juſtif. c. 2.) *nullam ob deletionem iſtam peccatorum imputationis juſtitiæ Chriſti neceſſitatem eſſe* ( lib. 2. de juſtif. c. 7.) *concupiſcentiam in renatis reliquam non eſſe peccatum* ( lib. 5. de amiſſ. gr. & ſtat. pecc. c. 7.) ἀγράφως καὶ ἀντιγράφως dictitat. Cui aſtipulantur *Greg. de Valent.* tom. 2. diſp. 8. de grat. *Becanus* part. 2. tract. 4. de gratia q. 1. *Coſterus* in Enchir. de pecc. orig. p. 394. & alii. Contrà Orthodoxor. ſententia hæc eſt, *quod peccatorum remiſſio non ſit totalis peccati deletio, ſed ejus ad reatum non imputatio.*

96. Superius §. 68. 69. hac de re aliquid dictum. Hoc loco dicimus, argumentum Bellarminianum, quod ex voce מחה ſive *delendi* in Pſa. 51. v. 3. (ubi idem verbum eſt, quod in hoc textu Prophetico) nectit, nullius planè eſſe ponderis, *cùm* 1. de deletione illa non ex cenſurâ rationis humanæ, ſed ex ſchola S.S. ſit judicandum, quæ peccata in juſtificatione & remiſſione tantùm *tegi, non imputari,* Pſa. 32. v. 1. 2. Rom. 4. v. 8. nequaquam verò penitus extergi aſſerit: *cùm* 2. in Pſa. 51. v. 11. manifeſta addatur explicatio, quomodo David peccata ſua deleri velit, quando v 11. dicit *Abſconde facies tuas à peccatis meis.* v. 13. orat, *ne projicias me à facie tua*, ubi amica facies *gratiæ* & miſerationis intelligitur: averti autem à peccatis ſuis petit faciem, auſteram ſc. *iræ* ac indignationis. Quod ſi verò peccatum ita remittitur, ut Deus illud facie ſuâ iratâ non reſpiciat, utiq; in ipſa remiſſione ipſum peccati materiale ſeu vitioſitatem naturæq; corruptionem manere neceſſum eſt. *Cum* 3. in noſtro etiam textu explicatio habeatur iſtius deletionis. *Prima* quidem in ipsâ voce מחה, vide ſuperius §. 41. *altera* in phraſi, *non recordabor*, quæ Dei non peccatum omnino ex natura extergentis, ſed idem merito Chriſti tegentis & perſonæ non impu ı tis, neque propter peccatum ſeverè punientis actionem denotat. Vide D. Gerh. tom. 4. locor. de bapt. §. 130. ſeqq.

QVÆ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

## QVÆSTIO IIX.

### *An & quomodo miniſtri Eccleſiæ dicantur peccata remittere, & abſolvere?*

97. Remotis omnibus aliis cauſis ſibi ſoli Jehova Salvator remiſſionis peccatorum opus vendicat: *Ego ego ſum qui deleo* &c. vide ſuprà §. 65. quæritur ergò, *cur & quomodo Apoſtolis & miniſtris Eccleſiæ alibi idem opus adſcribatur*, Matth.16.v.19. c.18. v.18. Joh. 20.v.23. Reſp. Excluduntur in noſtro textu non cauſæ ſubordinatæ,& *organicæ* ſive reſpectu Dei ſive reſpectu hominum conſiderentur,ſed cauſæ duntaxat *meritoriæ*. Ita ergò de totâ hac re habendum. Deus eſt qui convertit, *juſtificat*,peccata remittit,Rom.8.v.33.idq́; vi meriti à Chriſto præſtiti 1.Cor.6. v.11. 1, Pet. 1. v.2. illud autem facit *vel* ἀμέσως *immediatè*,in converſione quorundam miraculosâ & extraordinariâ Act. 9. v. 3. ſeqq. *vel* ἐμμέσως *mediatê* & per illa organa, quæ ipſemet inſtituit. *Media* illa ex parte Dei ſunt verbum *tùm* ἀκυστὸν, *audibile*, ad quod pertinent *Lex divina,quæ iram operatur* Rom.4. v.15. & *Evangelium*,ex quo *concipitur fides*,Rom. 10.v.17.cùm ſit *potentia Dei ad ſalutem omni credenti*,Rom. 1.v.16. *tùm* ὁρατὸν *viſibile*, quæ ſunt Sacramenta gratiæ divinæ σφραγῖδες.

98. Illa organa ut δύναμιν ſuam exerant, ab agente alio opus eſt moveri. Cujus rei gratia inſtitutum *miniſterium verbi ſeu Spiritus* 2. Cor.3.v.8. & conſtituti miniſtri Evangelii 1. Cor.3 v.5.qui ſunt οἰκόνομοι μυστηρίων θεοῦ 1 Cor.4.v.1.hoc eſt, divina organa ad actionē,propter quam inſtituta ſunt divinitùs,elevant,& tùm *ervbo legis* terrent ac peccata accuſant,tùm *Evangelii voce*, ut & verbi ὁ ἀπὸ τοῦ ſacrarmentorum adminiſtratione, conſolantur, erigunt& peccata remittunt, utrobiq; tamen Spiritus ſanctus eſt,*qui arguit mundum de peccato*.Joh. 16. v.8. Deus eſt qui miniſtris plantantibus& rigantibus,*ipſe dat incrementum* 1. Cor.3.v.6. Et ita ad ipſum ſolum omnis demum juſtificandi & ſalvandi redit δύναμις καὶ ἐνέργεια,poteſtas & efficacia. *Breviter* Deus hîc agit αὐτοκρατορικῶς *principaliter* & directivè: Miniſtri agunt ὀργανικῶς διακονικῶς καὶ ὑποτακτικῶς, *miniſterialiter*, inſtrumentaliter &ordinaitvè.Unde θεοῦ συνεργοὶ 1.Cor.3,9.& *tùm ſeipſos tùm alios ſervare* 1,Tim.4,16 vi ſc. verbi quod tractant,dicūtur.

## QVÆSTIO IX.

### *An in negocio juſtificationis & ſalutis noſtræ locus aliquis ſit tribuendus meritis hominum?*

99. Bona opera hominem non tantùm *verè juſtificare*, (nimirũ juſtificatione non *primâ*, quam *per infuſionem gratiæ deletis prius peccatis* definiunt, ſed *ſecundâ*, quam dicunt *non facere juſtos ex impiis, ſed juſtiores ex juſtis.*) *ſed & verè ac propriè eſſe merita, & merita non cujuſcunq; præmii, ſed ipſius vitæ æternæ,* ſtatuunt Romanenſes, quorum prius *Bellarm.* proponit lib. 4. de juſt.c.18. poſterius lib.5.c.1.

100. At his & aliis juſtificationis & ſalutis mediis gloriæ Chriſti haud parum derogari, ex noſtro perſpicitur textu Prophetico, in quo 1. Soli Jehovæ Mediatori juſtificationis & remiſſionis peccatorum beneficium adſcribitur. *Neve excipiatur*, ſermonem eſſe de juſtificatione primâ, non de ſecundâ, conjungimus locum Act. 4.v.12. ubi ipſius etiam ſalutis nullam aliam cauſam meritoriam eſſe præter ſolum Chriſtum liquidò evincitur. 2. omnia operum tàm ceremonialium quàm moralium merita in ἀντιθέσει verſ. 22. ſeqq. antecedente removentur, vide ſuprà §.52. 3. remotis illis *propter ſe* (utiq; ſolum) beneficia iſta contingere aſſerit Jehova v. 25.

101. 4. Fundamentum remiſſionis peccatorum & ſalutis in eo conſtituitur, quod infiniti meriti precium in paſſione redemtoris ſit perſolutum v. 24. qualis infinitas ab operibus humanis jam ante *debitis*, Luc.17.v.10. Eph.2.v.10. *imperfectis* Phil. 3.verſ.12. *immundis* Eſa 64.verſ 6. &, ſi in ſe vel reſpectu actus juſtificationis conſiderentur, *coram tribunali divino* ἀδοκίμοις Pſa.143.v.2. Job. 9.v.2.3. &c. quàm longiſſimè abeſt. 5. v. 26. ſubſeq. omnes à primo Parente progeniti arguuntur peccati eſſe obnoxii, vid.§.53. ex quo concludit Paulus, & nos cum illo: *Omnes peccaverunt & deſtituuntur gloriâ Dei, juſtificantur autem gratis per illius gratiam, per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu &c.* Rom.3. v.23.24. *Auguſt.* lib. 4. ad Bonif. c. 4. *Sicut ſolus filius Dei factus eſt filius hominis, ut nos ſecum filios Dei faceret: ita pro nobis ſolus ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, ut nos per ipſum ſine bonis meritis conſequeremur indebitam gratiam.*

QVÆ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

# QVÆSTIO X.

## *An detur animarum poſt mortem purgatorium?*

102. Purgatorium ſuum ſic deſcribunt Pontificii *quòd ſit locus quidam, in quo tanquam in carcere poſt hanc vitam purgantur animæ, quæ in hac vita non plenè fuerunt purgatæ, ut nimirum ſic purgatæ in cœlum ingredi valeant, quò nihil intrabit coinquinatum. Bellarm.* lib. 1. de Purg. cap. 1. Ignis iſte fatuus & fanaticus jam diu ex fontibus Iſraëlis extinctus & exploſus eſt, hac vice hoc unum monemus, non ἄγραφον modò eſſe, ſed αὐτίγραφον etiam iſtum fidei Papiſticæ articulum, & nominatim pugnare cum dictis, quæ de *purgatione peccatorum noſtrorum* loquuntur. Illa enim 1. perfectè remitti. 2. in hac vitâ iſtud fieri, oſtendunt verba noſtri textus v. 25 (Confer Mich. 7. v. 18, 19.) & alia dicta evidentiſſima Heb. 9, 14. 1 Joh. 1, 7. Apoc. 1, 6. c. 7. 14. Epheſ. 5, 26. Tit. 3, 5. Act. 15, 9. &c. Si igitur purgatio peccatorum duntaxat in hac vita ſperanda, fruſtrà ſtatuitur aliquod Purgatorium poſt hanc vitam. Sed verum prius, ergo & poſterius &c. *Auguſt.* lib. 1. de pecc. meritis & remiß. c. 28. *Non eſt ullus ulli medius locus, ut poſſit eſſe niſi cum Diabolo, qui non eſt cum Chriſto.* & libr. 4. de bapt. c. 28. *Fides Catholica non novit, niſi duo loca, ubi homines ſint futuri perpetuò, cœlum beatorum, & infernum damnatorum.*

## SECTIO POSTERIOR.

### Uſum practicum in beata paſsionis Dominicæ meditatione attingens,

103. Gal. 3. v. 1. Apoſtolus Paulus de ſuis ait auditoribus, quod ipſis, *inter ipſos crucifixus Jeſus Chriſtus, ante oculos* προεγράφη, *deſcriptus vel depictus ſit*, quo ſermonis genere tùm ipſos tùm nos omnes admonet 1. *De verbi divini Apoſtolicâ prædicatione*, quæ tam clarè tamq; perſpicuè myſterium paſſionis Chriſti nobis inculcat, ac ſi ipſimet Chriſtum in cruce pendentem vidiſſemus. 2. *De fidei certitudine*, quod tantâ πληροφορίᾳ poſſit & debeat ea eſſe prædita, ac ſi ipſimet Chri-

ſtum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

ſtum in crucem ſublatum & *pro nobis* patientem vidiſſemus. 5. *De paſſionis continuâ meditatione*, quod crucifixum hunc Chriſtum ſemper intueri, hoc eſt paſſionem ipſius, hujusq; fructum & efficaciam meditari debeamus.

104. Intuebimur igitur & hac vice oculis cordis crucem Domini, quæ etiam in textu noſtro Prophetico ante oculos quaſi προεγράφη. Videbimus enim & inveniemus in eâ 1. ſummum *myſterium*. 2. pleniſſimum *theſaurum*. 3. pulcerrimum *exemplum*. *Primum* uſum διδασκαλικὸν: *alterum* παρακλητικὸν: *tertium* παιδευτικὸν nobis ſuppeditabit: de quibus porrò breviſſimè.

*In paſſione Chriſti proponitur. 1. Summum myſterium.*

105. 1. *Summum myſterium* & miraculorum miraculum in eo latet, quod Jehova dicit *ſe laboraſſe ſerviliter*, *ſe defatigatum eſſe hoſtiliter*: quod ita exponitur in N. T. quod *autor vitæ ſit interfectus* Act 3. v. 15. *Dominus gloriæ crucifixus* 1. Cor. 2. v. 8. O verè myſterium & miraculum! ὁμολογουμένως μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον vocat Paulus, quod *Deus manifeſtatus in carne*, id eſt, homo factus eſt, 1. Tim. 3. v. ult. at quantò mirabilius, quod Deus non ſolùm homo factus, ſed & in carne paſſus eſt? *Mirabile eſt*, dixerunt pii veteres, *Deum omnia feciſſe propter hominem*, *magis mirabile eſt*, *Deum ipſum hominem eſſe factum propter hominem*, *maximè verò mirabile eſt*, *Deum hominem factum, pati ac mori propter hominem.* Inde igitur elucet

*Uſus διδακτικός.*

1. Dei infinita ergà homines *miſericordia*. 2. Hominum infinita *miſeria*, quæ infinito bono καλῶς πάντα ποιοῦντι Marc. 7. v. 37. opus habuit. 3. infinita λύτρου Salvatoris *efficacia*.

*2. Pleniſſimus theſaurus.*

106. 2. *Pleniſſimum theſaurum* in vulneribus & latere crucifixi Chriſti contuemur & invenimus, ex quo πληρώματι ſeu *plenitudine nos omnes accipimus gratiam pro gratiâ* Joh. 1. v. 16. Is digito exerto à Propheta noſtro vel Chriſto potius ipſo oſtenditur, dum *remiſſionis peccatorum* gratuitæ, quæ vi meriti infiniti Salvatoris nobis contingit, fit mentio. In quo beneficio verè reliqua omnia (quæ alibi ſingillatim expenduntur clariùs) ceu in epitome quadam continentur: quò reſpicit Apoſtolus Rom. 4 v. 6. 7. 8. ex quo loco talis naſcitur demonſtratio: Μακαρισμὸς ſeu beatitudo hominis eſt beneficiorum

Chriſti

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

Chriſti maximum eorundemque quædam ἐπιτομὴ. Jam verò re-
miſſio peccatorum Davide atteſtante eſt μακαρισμος τ̃ ἀνθρώπȣ.
Ergò. Et quid multis? cùm Paulus dixiſſet Rom. 8. v. 30. *Quos
juſtificavit* (quibus peccata remiſit, in hoc enim conſiſtit juſti-
ficatio noſtra Rom. 4 v. 5, 6) *illos glorificavit*, ſtatim v. 32 ſubjicit,
*Deum tradendo* (in mortem) *filium proprium donaſſe nobis o-
mnia*.

107. Hæc quomodo πρὸς παράκλησιν & conſolationem mentium afflictarum faciant non eſt obſcurum, συλλήβδην uſum iſtum comprehendit Apoſtolus d. l. v. 33. *Quis accuſabit electos Dei? Deus qui juſtificat* (qui peccata remittit) v. 34. *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexeit, qui & eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. v. 35. *Quis ſeparabit nos à charitate Dei? &c.* Hæc eſt occultatio illa & requies territarum columbularum Chriſti *in foraminibus petræ*, de quâ Cant. 2. v. 14. illius ſcil. Petræ, quæ perforata eſt clavis divinæ juſtitiæ in cruce, ex quâ ſcaturit aqua, quæ ſordes peccatorum omnium abluit, 1. Johan. 1. verſ. 7. conſcientias mundat, Heb. 9. verſ. 24. & coram DEI oculis nos glorioſos reddit, Epheſ. 5. v. 25, 26, 27. &c.

*Uſus παρακλητικὸς.*

108. 3. *Pulcerrimum exemplum* in viſione Chriſti crucifixi oſtendi & proponi, patet ex 1. Pet. 2. v. 21. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis ὑπογραμμὸν exemplum ſeu præſcriptum, ut inſiſtamus veſtigiis ejus.* Videtur Apoſtolus reſpicere ad typum Exod. 25. v. 40. quando Moſi vox divina taliter ſonat: *Inſpice & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte oſtenſum eſt.* In quem locum ita Gregor. l. 1. regiſtr. c. 10. *Inſpice exemplar obœdientiæ, patientiæ, fortitudinis, caritatis, humilitatis, contemtus mundi, omniumq; virtutum, quod tibi in monte Calvariæ à Chriſto oſtenſum, ita tabernaculum virtutibus omnibus adornatum & perfectum* Deo *in anima tuâ conſtrues.*

*3. pulcerrimum exemplum.*

109. Ὑπόδειγμα, *exemplum dedi vobis* (inquit Salvator ipſe Johan. 13. v. 15.) *ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Dedit tale ὑπόδειγμα, & ὑπογραμμὸν præſcripſit etiam in oraculo noſtro Prophetico, in quo παιδεύομεν & monemur.

*Uſus παιδευτικὸς.*

1. *Ut peccata pœnitenter agnoſcamus.* Illa 1 infinitum bonum ſuppliciis iſtis & doloribus immenſis affecerunt. 2. gratis à Deo

*1. Ad peccatorum agnitionem.*



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

propter Chriſti meritum condonantur. Ergò meritò agnoſcenda, deploranda, confitenda. Hûc pertinet, quod Gregor. in Pſal. 51. tom. 2. pag. 954. ex oraculo noſtro deducit, quando ait: *Per Prophetam Dominus dicit, Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero: Tu autem memor eſto* (etſi in fonte Hebraico aliter legatur) *& judicemur. Audi quâ conditione iniquitatum tuarum ſe eſſe immemorem dicat, videlicet ſi tu memor fueris. Cave ergò ne unquam quod deliquiſti, à memoriâ tibi excidat, aut aliquâ oblivione peccata tua obliteres &c.*

*2. Ad peccatorum vitationem.*

110. *2. Ut à peccatis diligenter caveamus.* Illa tot & tantas Salvatori noſtro faceßêre moleſtias. Meritò igitur cane vitantur pejus & angue. Illa *gratis* remittuntur, meritò igitur à peccando inpoſterùm abſtinetur, ne in vanum *gratiam* illam Dei receperimus. 2. Corinth 6. verſ. 1. *Sanus factus es* (ajebat Chriſtus ad hominem ex 38. annorum ἀσθενείᾳ gratiâ ſuâ convaleſcentem) *noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Eramus & nos peccato κακῶς ἔχοντες Matth. 9. v 12. ægritudine παντοδαπῶς affecti Eſa. 1. v. 6. imò planè *in peccatis mortui* Eph. 2. v. 5. ac fuſus eſt ſanguis medici, & factus eſt medicamentum ægroti. *Ejus livore ſanati ſumus* Eſa. 53 v. 5. *& vivificati* Epheſ. 2. v. 5. *Ambulemus igitur in luce* 1. Pet. 1. v. 7. opera *tenebrarum* fugientes, Roman. 13. v. 12. *ne poſteriora deteriora fiant prioribus*, 2. Petr. 2. v. 20.

*3. ad peccatorum condonationem.*

111. *Ut peccata condolenter remittamus.* Chriſtus ex merâ gratiâ noſtra peccata remittit, illorum *non amplius recordatur*, quin potius *in profundum maris abjicit*, Mich. 7. v. 19. *decem millia talentorum* remittit, Matth. 18. v. 24. 27. *& chirographum delet, quod contrà nos eſt*, Col. 2. v 14. ſimus igitur (& eſſe jure debemus) & hic *imitatores Chriſti* 1. Cor. 11. v. 1. Eph. 5. v. 1. & in condonando proximi errata faciles, ita verè & fidenter Deo preces noſtras offerre & dicere poſſumus: *Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.* Matth. 6. v. 12. *ſi enim* (inquit Chriſtus ibid. v. 15.) *non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Confer Matth. 5 v. 23. ſeqq. c. 18. v. ult. Marc. 11. v. 25. 26.

*Concluſio.*

112. Vidimus igitur quomodo in oraculo noſtro Chriſtus crucifixus *ante oculos* Pauli verbo nobis ſit *depictus*: Illum qui debito

bito

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

bito & dicto modo intuetur hîc in verbo & per fidem: videbit etiam olim in cœleſti gaudio per apertam ſpeciem, 1. Cor. 13. v. 12. *ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus: ecce quod erit in fine ſine fine!* ut verbis *Auguſtini* lib. ult. de C.D. cap. ult. hac vice concludamus.

# Coronis.

## I.

Ex eo quod *ſanguis Chriſti* dicitur *ab omni iniquitate nos mundare*, 1. Joh. 1. v. 7. Ebr. 9. v. 14. & *juſtificare* ſeu remittere peccata Rom. 5. v. 9 id quod *ſolius* Dei eſſe Eſa. 43. v. 25. aſſeritur, rectè cum B. *Chemnitio* lib. de duab. nat. in Chriſto c. 21. 24. concludimus, humanitati Chriſti per & propter unionem perſonalem attributa verè divina & infinita eſſe communicata. Confer Matth. 9. v. 2. 3. 6.

## II.

Caput Eſa. 63. usq; ad v. 7. & de *Jeſu Chriſto*, & de ejus *paſſione*, paſſionisq; glorioſiſſimâ cataſtrophe primariò agere, orthodoxè & convenienter dicitur, contrà *Calvinum*, & alios, qui utrumq; vel alterutrum negant.

Σφάλματα quædam typographica, quæ irrepſerunt, Lector benevole, ita haud gravatim corriges.

*th. 2. l. 4. συζήτησιν. th. 15. l. 4. agitur. th 16. l. 21. per efſuſionem. th. 27. l. 4. nos prohibentis. th. 36. l. 6. ab eadem. th. 41. l. 13. uſurpatur. th. 57 l. 6. de quâ. th. 72. l. 1. Jehovæ. th. 87. l. 2.* וּמַעֲנֶה*. th 96. l. 20. imputantis. th. 98. l. 6. verbo. th. 107. l. 5. reſurrexit.*

*F I N I S.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

1756
16

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 01056 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-136 4° 1056